PRAXIS MEDICA,

SIVE COMMENTARIUM

IN APHORISMOS

HERMANNI BOERHAAVE

De cognoscendis & curandis Morbis.

PARS QUINTA.

Editio tertia, aucta, & accuratissima.



LONDINI,

Sumtibus Societatis.

M. DCC. XXXVIII.

De Morbis Chronicis.

§. 1039. Acutus morbus vocatur, qui celeriter cum vehementia & periculo vitæ suam periodum absolvit. Chronicus morbus vocatur, qui lento & longo tempore suam periodum percurrit sive cum, sive sine periculo. In Acutis vero semper est periculum, χρόνος tempus notat, hinc Chronici morbi, qui diu durant, antequam in sanitatem, alium morbum, vel mortem terminantur. Tales sunt, sane plurimi & maxime notabiles, hinc hoc, quod sequitur capitulum, est maximi momenti in Praxi, hi morbi, si habeant causam internam, sunt in corpore vel ex liquidis vitiatis vel à vitio ab Acutis prægressis relicto, vidi diu meditatus hoc summum genus reduci posse ad parvum caput, interne vel ingestis v. g. venenis, vel iis, quæ in corpore prius erant, si nempe humores deficiant in aliqua requisita conditione, vel ubi à morbo acuto aliquid relictum est, inde hæc pendent, v. g. si nimium comedam, nec habeam postea expurgationem, tum oritur Cacochymia vel putrida acida vel pituitosa in corpore, eodem tempore etiam oritur morbus Chronicus a vitio mutatorum humorum ad alterum: si Febris valida exusserit sanguinem, liquida dissipaverit, manet in me Cacochymia, unde dein diu langueo, est morbus Chronicus a morbo Acuto male curato. *Sydenhamus* dicit, puto, quod tanta subtilitas sit in mor-

bis Chronicis, ut putem Medicos facile posse Acutos discere, sed Chronicos vix per totam vitam, ego sum in alia sententia; morbi Chronici nascuntur vel ex subita applicata causa externa, vel interna, & sensim tanta humorum mutatione, vel vitio ab Acutis relicto, ad quædam capita hi morbi reduci possunt, paucos Epidemicos excipio, nempe Quartanam Epidemicam, quia non possum dicere eam ex malo victu, vel acri ortum ducere.

§. 1040. 1. Visum est, quod totum Chronicorum genus ad ingesta reducatur, & totus hic tractatus hæc tantum complectatur & his absolvatur; ut has causas primo absolvamus, ad ingesta Medicis est attendendum, in quibus pulcherrimæ fiunt observationes; quidquid enim in corpus ingeritur, & statim postea non egeritur & fit validius quam ut assimuletur fiet Cacochymia & inde Cachexia, & hæc tantum fit ab ingestis, quæ superari h. e. digeri non possunt, hinc dicit *Hippocrates*, quod si calor superat alimentum, fit morbus, si vita superet, plus nutrit, si alimenta superent, deficit vita; talia sunt acor, si homo sumat majorum acidorum copiam, quam ut à viribus ejus corporis mutari possint in naturam alcalescentem, accipiet Cacochymiam acidam.

β. Si aliquis comedat nil præter Poma austera immatura, vis vitæ prima septimana superat, secunda languet, tum hæc Poma sensim Cacochymiam acido austeram facient, quæ morbum Chronicum, Scabiem &c. producit, quemadmodum hoc semper videmus in pueris rusticorum, qui fructus immaturos, deciduos comedunt; hinc oritur talis morbus ab adstringentibus succis immaturis, vinis austeris, adstringentibus aut coagulantibus ex. gr.

si

ſi quis aceto & pane utatur, tantum aſſumat acidi, ut vita non ſuperſit in Ammoniacum mutandi id eſt in naturam noſtram, humores fiunt acidi.

Saponaceis. Si talis homo quotidie magnam copiam Saponis Veneti ſumat & bibat Sal Tartari affuſum ad Vinum Rhenanum, tum curatur.

γ. De hoc mali genere in initio collegii, ubi de humore bilioſo acriori reddito & abeunte in putrefactionem actum eſt, uti etiam de curatione v. g. ſi quis edat ſolos vitellos ovorum, qualem vidi otioſum bibentem Vinum Hiſpanicum vel aliud dulce potulentum, ut cereviſiam talem, omniaque pingueſcentia & dulcia, incidit in morbum teterrimum putridum, halitum fœtidiſſimum habet, dejicit fæces inſtar butyri eliquati putridiſſimas, ut ovum putridum, urinam reddit qualis eſt antiqua. Oritur aliquando Rheumatiſmus Chronicus per totum corpus, vagus ex cauſa acri & calida, ſi homo perpetuo & ingenti copia Sinapi, Allia, Cæpas, Erucas, Raphanos &c. aſſumpſerit, incidet in Rheumatiſmum priorem, qui ab acido erat plane oppoſitum, utrobique eſt calor, ſed cauſæ ſunt oppoſitiſſimæ. Hæc Cacochymia largo acidulorum potu tollitur; ſed dein ſemper laborant ægri intemperie hepatis.

δ. Si homines pinguia tamdiu aſſumant, ut natura eorum ſuperari non poſſit, incidunt in hos morbos. Ranciditas bilioſa oritur iis, quibus halitus ſunt tam putridi. Curatur hic morbus diluente, ſaponaceo, acido, & Oxymel hic præcipuum eſt medicamentum.

ε. Sal Marinus vel ſalita nimium aſſumpta deſtruunt vaſcula, ſolvunt liquida, eadem acredine muriatica producuntur Atrophiæ, extravaſationes,

 hu-

humorum putrefactiones, hic describitur Scorbutus Navalis. Hic morbus tollitur acidis, simulac hi ægri Acetosam, Poma Citrea, Aurantiorum & similia olera mollia accipere possunt, citissime sanantur.

ζ. Alcali pertractatum est suo loco.

η. *Glutinosum*. Id suo loco dictum est nec repetendum. Tot modis in corpore sano a cibis, potu acri, medicamentis venenis oriuntur humorum degenerationes in morbosas indoles tanta mutatio in Fluidis sic facta est, ut morbus producatur, vocatur Cacochymia, si Solida simul depravantur, vocatur Cachexia seu malus habitus.

2. Si vires sint conferentium viscerum majores, quam cibus & potus, hi non satis diu suam naturam, id est, Ammoniacalem retinent, omnia nimis cito alcalescunt; hinc æque peccamus sumendo nimis faciles, quam nimis duros cibos, ut & asserit *Hippocrates* per laborem intelligens actionem viscerum dicendo a pauciori difflari, a nimio repleri corpus. Si homo fortis & fortia viscera habens, nil nisi duras carnes & pisces assumat sine ullo acido, putrescit, quia hæc ex natura sua putrescunt, & quia ejus humores putredinem augent; hinc solis carnibus nemo vivere potest; nisi salia, quæ alcalescentiam impediunt, addantur.

3. Nostri humores utcunque sani, si non renoventur per novum chylum, sani manere non possunt, sed acrimoniam humano corpori fatalem acquirunt, pulchrius nil est in Medicina, quam causas Physicas noscere, quæ morbos Chronicos faciunt: omnes illi morbi, qui in corporis parte non facile mobili contingunt, difficulter plerum-

que

que cognoſci vel examinari ſolent. Oriuntur hi morbi vel a mala conformatione, vel quoniam Fluida in ſtatu naturali per quatuor res non naturales ſic mutantur, ut tandem in morbos erumpant; hos morbos vocem ſenſim natos, vidiſtis ex Paragrapho præcedenti morbos Chronicos prædici & curari poſſe, ſi modus vivendi noſcatur, ſed alii morbi Chronici pendent ab Acutis mala ſanatis, de quibus dixi.

§. 1041. α. Videatur caput de Suppuratione & de Phlegmone, imo multi morbi inflammatorii ut Pleuritis &c. abibunt in Suppurationem mitioris generis, hinc omnes morbi inflammatorii vel in toto vel in parte in Apoſtema abeuntes ſanguinem inficiunt, quando hoc factum eſt, tum oritur in corpore Cacochymia purulenta & poſtea Phthiſis.

β. Sæpe humores non putreſcunt, ſed abeunt, ſi diu maneant in tenuem ichorem, qui miſtus ſanguini rodit vaſa; tum ſanguis fit Cacochymicus, acer, ſanioſus, quod contingere videtur in Lue Venerea penitus irradicata, ubi videmus ſanguinem putridum ſanioſum. Sanantur demulcentibus, ſero Lactis dulci, acidis cum pauco Salis Marini, & farinoſis quibuſcunque in India bulbo Caſtaneo utuntur.

§. 1042. Hos morbos in hiſtoria morborum Acutorum tractavi, ſed quot morbi ibi oriundi? omnes partes glanduloſæ inflammatæ in Scirrhum abeuntes facere poſſunt morbos Polymorphos, glandula circa laryngem, Pharyngem & medium Æſophagi circa Laryngis exteriora, circa Pancreas, Hepar, Inteſtina, Meſenterium, omnes recenſitæ glandulæ dictos morbos pariunt, ſed Cancer ibi natus, quot morbos terribiles ibi

 creat,

creat, hepar Scirrhosum in Dysenteriam putridissimam abit; si male curentur Febres Ardentes, sanguis liquidissima parte orbatus, in fæces crassissimas inspissatus, in hepar ingestus facit languorem usque ad mortem perdurantem, ultimo æger inducitur in pessimam Dysenteriam & sic moritur.


§. 1043. Unum exemplum adferam, laboret quis Inflammatione violenta in Pancreate concepta; Medicus primo die accedens Venæ Sectionem instituit, diluentia dat, sic vis vitæ labefactatur, hinc si materia inflammatoria non tota expellatur, & tantum liquidior materia exeat dimidiate hærens, tum, parte liquidissima dissipata, fit Scirrhus in Pancreate à crassa materie relicta, simili effectu ut in omni alia Inflammatione in Scirrhum abeunte, hic Scirrhus per viginti annos ibi hærere potest, si jejunet, sentit sub ventriculo grave pondus, si edat, dolet maxime, si vomat, dolet summopere & Diarrhæa laborat æger, tandem inde in Atrophiam cadens moritur, sic abit Inflammatio tandem à Scirrho in Cancrum, hoc ubique in corpore fieri potest, nam in cerebro visus est Scirrhus; hinc infiniti morbi Chronici ab Acutis male sanatis oriuntur.

§. 1044. Si talis materia morbosa vel per vires vitæ vel per medicamenta coqui, moveri, secerni, & excerni non possit, est idea hujus morbi. Morbi Chronici, de quibus generaliter tractari nequit, nascuntur vel per causas in corpore, tum ad gesta, ingesta, excreta &c. referuntur vel fiebant à morbis Acutis male sanatis. Chronici sunt omnes morbi, quia causa interna non externa oriri dicuntur, ut v. g. Hepate malleo percusso, lapsu ab alto, &c. quæ explicata sunt in

in Capite *de Vulneribus*, vel oriuntur à vitio humorum vel ſolidorum vel liquidorum, vel utriusque fiunt, ſunt vero plerumque in humoribus, iiſque vel accumulatis vel nimium ſeparatis, aut quæ in utriuſque conſiſtunt vitio, ſunt et alii ab Acutis, hique omnes ab Inflammatione, quæ ſic abit in Gangrænam, & in mortem; ſi in pus eat vel colligatur, vel miſceatur ſanguini, tum putreſcit ſanguis & fit ichoroſus aut Inflammatio abit in Scirrhum, hinc concludo, quod omnium Chronicorum fundamentum & univerſalis doctrina hinc ſumenda & intelligenda ſit; ut *Hippocrates* ſcripſit, & *Sydenhamus* incepit; Spina Ventoſa eſt morbus Chronicus, ſi ejus hiſtoria ita intelligatur, nam primo corrumpitur medulla, ſecundò oſſea ſubſtantia, tertio Perioſteum internum, deinde omnia impoſita, unde Spina Ventoſa oritur, plerumque fit ex alio morbo vel Rachitide vel Scorbuto vel Lue Venerea, vel vitio ex his complicato.

§. 1045. Omnis diverſitas pendet à viſceribus ſeu partibus vel humoribus; ſi humor Inflammatorius, Suppuratus, Scirrhoſus, Cancroſus, Gangrænoſus occupet loca, pro vario loco apparebit alius morbus v. g. ſi materia inflammatoria obſideat pulmonem, fit Tuſſis, Sitis, Febris Hectica, Exſpuitio &c. eadem in Hepate ſi reſideat, fit gravitas, ichoris confectio, Icterus, Hydrops, eadem materia inflammatoria, eadem vaſa ſcilicet arteriarum fines, ad renes urina ichoroſa, craſſa, Dolor Iliacus, Colicus, Iſchuria, &c. eadem cauſa, loca diverſa: hæc noto contra *Sydenhamum*, dum ſola Praxi fere nulla Chemia vel Anatome curare voluit, multos quidem per ſuas obſervationes errores & præjudicia evertit, ſed ipſe erra-

vit, dum quoslibet effectus diversissimos, quoslibet singulari cura pertractandos persuadere conatur; sic ex Scorbuto Hydropem uti ex Quartana Scorbutum agnoscere noluit, sed tantum symptomata tractare voluit, ad morbos diversissimos, cum hi morbi eandem causam, effectum, & materiam habeant conscripsi parvam orationem *de repurgatæ medicinæ facili assertione*, in qua eum refutavi, si videatis ad ea, quæ ille Magnus Vir fecit, videtis facile ad simplicissima remedia deduci posse, sed quoniam nullos alios observatores legit, hinc suis propriis observatis tantummodo fidem dedit; ille Auctor persuadere voluit in omni morbo requiri aliam methodum, sed si examinetur ejus cura, si non sit morbus Acutus, Venæ Sectionem negligit, utitur diluentibus, demulcentibus, obtundentibus, ut in *scedula monitoria paulo ante mortem scripta* agnoscit errorem, longeque aliter loquitur, ipse curam fatetur suam fuisse non aliam, volebat prius propria observatione sapere, sed post Praxin quadraginta annorum primo advertit eam simplicitatem. Si intelligam quid sit Spina Ventosa, scio an curari possit, nec ne & quid efficere possim, modo accurate historiam sciam; nemo curare potest mala ab exesorene, consumpto hepate, nemo Cancrum curabit, hinc multi morbi sunt incurabiles, & diuturni; ad Scirrhum resolvendum multum temporis requiritur, si adhuc dum fieri possit, nam ut verum fatear, vix fieri posse credo.



Paralysis.

§. 1046. Nomen sortitur à λύω *solvo*, παραλύω *penitus dissolvo*, hinc *Celsus* hunc morbum vocat resolutionem, hinc vi vocis dicitur resolutio rei unitæ vel ligatæ. *Paralysis* est *musculi ineptitudo ad motum, una cum flacciditate fibrarum præsenti*; *ut Spasmus est ineptitudo ad motum una cum rigiditate præsenti*; superest in Paralysi plerumque motus voluntarius, sed illi suum effectum non sentiunt, quod mirantur Paralytici, scio me velle, at per causas incognitas hoc fit; in homine Paralytico, si totam manum moveat, Supinatore manus Paralytico facto non evertet eam, & tota manus est quasi non amplius sua; aliquando sensus abest, aliquando adest, vel levis quasi stupor, si sensus & mobilitas absint, tum est pessimum signum, sed si adsint, tum bonum est, si vero sensus redeat, tum æger sentit, quasi aciculis pungeretur, sic in illis, qui à Paralysi curantur, semper tales punctiones uno die ante sanationem deprehenduntur.

§. 1047. Causa Paralyseos est una ex his vel utraque simul; musculi rigor pendet à nervis spiritu plenis & arteriis inflatis, quibus absentibus flaccescit.

§. 1048. 1. *Apoplexia* est *impeditus transitus spirituum à cerebro per nervos usque ad musculos & loca extrema*, universalis Paralysis est Apoplexia, & oritur ab omni causa generante Apoplexia.

2. Spiritus feruntur per canales tenerrimos subtilissimos, mollissimos, quorum congeries est in membrana, quæ mollem substantiam ad loca ducit.; membrana habet vasa Lymphatica, hæc forte obstruuntur, inflammantur, tument, spiritus forte ob crassitiem transituri inepti sunt (sed id certum non est, & dubito ejus rei esse firmum argumentum) fortis contractus vel membrana maximopere inflammata crassescit, nervum comprimit, hinc imprimis pendent vitia, quæ Paralysis causas vix crediderim inducere à spiritibus, sed causa primaria est Inflammatio membranæ.

3. Nam si arteria constringatur, tum motus musculi, ad quam arteria pergit, destruitur. Si tota nervorum origo comprimatur, oritur Apoplexia ante exposita, si materia ad medullam Oblongatam collecta destillaverit, oritur Paraplegia. Si in theca Vertebrarum pars dimidia lateralis comprimatur, oritur Hemiphlegia; sic ex universalibus morbis cognosci potest, ubi sedem habeat, tandem & singularis Paralysis in musculis vel aliis partibus oritur ab iisdem causis.

§. 1049. Omnes causæ, quæ hic dantur à Practicis nunquam sunt observatæ.

Epilepsia est musculi nimia & involuntaria inflatio, quæ si distendit fibras, ut flaccescant & elasticitatem perdant, eas Paralyticas facit, hinc pueri Epileptici plerumque habent partis alicujus Paralysin & Epilepticis maxime labefactatur cerebrum, unde etiam oritur Convulsio.

Convulsio. Quia ab ea tanta tensio liquidi oritur, hinc fit Spasmus in una parte, in altera Paralysis.

Dolor.

Dolor. Quia nervi valde distrahuntur.

Evacuationes retentæ comprimentes pulpam nervorum medullosam producunt Paralysin, si nempe Hæmorrhoides & Menstrua subito retineantur, producunt Paralysin.

Metaptoses. Ut ipse vidi; si quædam materia Pleuritica benigna inflammatoria moveatur, & abeat in venas, hinc ad cerebrum, tum producit Apoplexiam, vel si aliunde subsistat, creat Paralysin.

Nervos. Nervi simplices sunt canales adeo exiles, ut nullo microscopio ad ultima pervenire possimus, sed compinguntur in vasculis & hic circumambiuntur membrana communi crassiori, & qua simplex nervus ambitur, & in hac vasa hærent, hincque Paralysis, quæ in nervis oritur, plerumque non in nervis, sed ab his vasis fit, & præterea ubi gangliones, ibi membranæ adhuc crassiores, hique gangliones ubique inveniuntur, ubi nervi ex vertebris egrediuntur, & sic Paralysis fit, cur vero in his subtilissimis causam quæramus, ubi causa notabilior & sensibus magis conspicua esse possit, ut *Pitcarnius* bene notavit.

Integumentis. Omnis enim nervus hæret in vagina membranacea, quæ vagina vel theca constat vasis arteriosis & venosis omnium generum, hæc inflammari & tumeri potest, hinc fit substantiæ medullosæ compressio, hinc videmus eam posse ab infinitis causis oriri, nam v. g. si magnorum nervorum brachii, ubi in ganglionem abeunt, theca inflammetur, tum oritur brachii Paralysis, hic vero proprie nec cerebrum nec nervus nec musculi male sunt affecti, & hoc intra viginti & unum diem sponte cessat, quod haud vice simplici in mea Praxi expertus fui.

Serosi. Non in ipsis nervis, sed à membrana Arachnoïdea, Pia, vel Dura tribus his integumentis, quæ capacia sunt omnium malorum, quæ in membranis accidunt.

Scirrhosi. Si ibi Scirrhus vel aliud malum hæreat, tum curetur, ut quod nervi partem comprimit, secundum artem tollatur, & hæ sunt causæ Paralyseos singularis, sed tamen his accedit, quod nervus semel nimis compressus tum non magis agat, nec magis in eo obtinetur spirituum fluxus, hoc in cane experiri licet, si nervus recurrens in cane fortiter comprimatur, tum fit mutus & paulo post moritur.

Luxationes. Nam nervi intorquendo comprimuntur.

Adstringentia. Visum est ab acerrimis humoribus crudis & vix edulis, immaturis fructibus v. g. Glandulis Quercinis, Acinis immaturis, Uvis crispatis, inducta esse hæc mala.

Venena varia. Ut vapor Arsenici ab incautis hominibus haustus & ad initia nervorum perventus sæpe produxit integram depravationem, fossores enim Mercurii pauco tempore integre Paralytici evadunt; idem ab Antimonio, Mercurio, parietibus recens factis in divitibus domibus & dealbatis, a calce cujus odor proprietate singulari, & experta nervos male afficit.

Calor maximus. Quia humores nimis rarefiunt, tumque vasa Tunicæ nimis tument unde ejus compressio, functionis destructio.

Humiditas frigida. Paralysis fit frequens in loco frigido & humido hæc enim frequens est militibus subdio cubantibus in castris.

Aquæ calidæ. Abusus nimis Thée & Coffé Paralysin induxit nervis flaccidis redditis nec amplius contineri potentibus.

§. 1050. Omnis pars est causa alicujus functionis,

nis, hinc, læsis partibus, læsæ sunt functiones, id est, motus; corde enim Paralytico facto actum est de vita, tum Syncope lethalis oritur ad pulmones aut respiratorios musculos; hæc, quæ hic dico innituntur Pathologicis & Semeioticis institutionibus, hinc his non inhærendum.

§. 1051. *Paralysis Cordis.* Sunt homines, qui quandoque uno momento concidunt, sic novi virum, qui veniens ad scapham concidit in media via, & mansit sine coloris mutatione, tum cor non emittit, nec accipit suum sanguinem, sed est Paralyticum, hinc non sic diu manere potest, quin moriatur sine Spasmis.

Pulmonum. Si enim pulmo dilatetur, tum musculi mesochondriaci inter annulos cartilagineos hærentes æqualiter cedunt, si vero Paralytici fiant, tum quidem aër conatu voluntatis exprimitur, sed inferior pars pulmonis non adscendit, sed collabitur, hæcque est Asthmatis pessima species.

Gulæ. Nam deglutitio actione musculi non passive fit, hinc brevi moriuntur.

Stomachi. Causa interna est Obstructio ad cerebrum, quamdiu non ferre possunt ægri, si fæx alvo exeat sine sensu, pessimum est signum notat enim cerebrum male affici à morbi causa v. Pr. Alpin. d. præs. vit. &c.

Faciei mala. Quia ex cerebro intra Cranium ad faciem & oculos hærent nervi causa interne hærens brevi obstruit totum, hinc facile abit in Apoplexiam.

Paraplegia fit, si Medulla Oblongata intra vertebras plane comprimitur, si hanc insequitur Apoplexia, signum est adscendisse per ventriculum quartum in cerebrum, nec ulla ibi spes curationis, sed derivationis. Hæmiplegia increscens transit per alterum

terum latus, hinc Apoplexia necans, quia hæret ad cerebellum. Paralysis cum frigore insensibilitate & Atrophia signat nervorum & arteriarum succum deficere, hinc pessima si cum Convulsione & calore signat per reliquas & liberas partes plus premi spiritus, hinc pessima.

Frigore. Hæc Paralysis forte nunquam tollitur, sed abit in Atrophiam.

Magno calore. Sic si una pars dimidia cerebri Paralytica & ineris sit, altera vero dimidia pars nimis agilis, tum hoc est incurabile, & notat, quod sit vera cordis palpitatio.

Ex Horum. Hinc Paralysis sæpe exhibet ideam mortis, insanabilem, sunt exempla hominum, qui in lætitia vel in indifferentia subito mortui sunt, sine indicio morbi vel motus; mira fieri debere putant Medici, ut hæc accidant, at si Ganglion, unde nervi Cardiaci procedunt, comprimitur, mox actum est, cor non movetur, flaccescit, sanguis quidem affluit, cor impletur, sed nil transit, nec amplius propellitur, hinc nil ad encephalum defertur, nilque per pulmones amplius fluit.

§. 1052. Omnia, quæ in nostro corpore moventur, vi cordis aut vi respirationis in motum adiguntur, arteriæ per musculorum tunicam moventur, & minimæ partes moventes in nobis musculosæ sunt; ut vasorum fines sunt fere ad musculos, hinc quod facit musculus major in nobis, id minor est in illis partibus, sic causam mirabilium morborum imaginationi vix sensibus patent. Fieri potest, ut magna pars imo & omnes partes infra caput fiant Paralyticæ sine vitio cerebri vel cerebelli vel medullæ Oblongatæ, sed hoc modo oritur à vitio Spinalis medullæ, sic vidi his diebus hominem Febri Tertiana laborantem, & hinc in

Con-

Continuam incidentem, & ex hac in Hæmitritæam, tum omnes musculi facti sunt Paralytici, sed prædixi, hinc nil metuendum, nam concipiebam materiam esse nimis crassam in integumentis nervorum adactam, hinc judicavi nil nisi Diluentia esse danda, & sic sanatus fuit.

§. 1053. Hic natura est observanda, quomodo illa sanat & aliquando sanavit.

Dissipando. Exemplum est in Aitiologia Paralyticorum, quod si oriatur Obstructio ad nervum cerebri medullæve, tum si illa calore naturali attenuetur, attenuata evanescit, ergo prima curationis causa est perspirationis restitutio.

Depositam. Nam in omnibus his locis materia Paralyseos hærere potest, & factum est, ut materia hinc dissipata fuerit, sic magna Febris cum sudore sæpe uno momento Paralysin tollit; sic in hac urbe sartor erat, qui per annum Paralyticus in lecto decubuit, sed tandem Febrim accipiens sine manifesta causa sanatus est, sed postea iterum Paralyticus factus, iterum Febre est sanatus usque ad tertiam vicem, sic etiam sanatur, si parti tremor superveniat.

Febrim. Sic & omnia, quæ Medici agunt, hi arte Febrim excitando agunt, sic Purgantia, Epispastica, frictiones, emplastra applicata &c. omnia agunt Febrim excitando; unde vasa laxantur, ut sudor docet, qua laxatione materia impacta resolvitur.

Tremorem. Hic observatum est homines Paralyticos concuti toto corpore, & sic esse sanatos, hinc veteres hos ægros ducebant in balnea & Urticis verberabant, & sic dolores & tremores facientes feliciter sanabant eos, idem fieri potest per frictiones.

Diarrhœam. Sic *Hippocrates* notat Balbutionem, Surditatem, Paralysin, curatam esse perDiarrhæam, hic enim ut semper fieri debet vias naturæ speculamur, nec ad vias artis nos convertere debemus, nisi in quantum naturam velimus imitari, ut idem effectus subsequatur.

§. 1054. Causam hujus morbi non semper scimus, sed divinando quandoque & plerumque attingimus; hinc cura est incertior, cæterum universalis cura requirit. Si Paralysis adsit, tum habet causam in his tribus indagandam, si ergo facere possis, ut spiritus libere fluant, nempe si hinc orta sit, tum Paralysis tollitur; si vero ex Fluxu Sanguinis arteriosi, tum ille Fluxus est revocandus.

§. 1055. Si possim in Paralysi noscere, quæ causa adsit, & ubi hæreat, tum facile curare possum, & ex hac hypothesi hoc dico, verum si non penetrem, non certe scio, quid agere possem, sed tantum generaliter curo, ut omnes Paralyses, non enim possumus singulorum casuum indicationes habere.

§. 1056. Si quis scire possit, in quo nervo & in quo loco vel in quâ arteriâ causa mali hæreat, tum facilis esset sanatio, sed hoc non facile scitur, si ergo nesciamus locum, ubi nervina medicamenta applicare possumus, tum modo curationem naturæ imitemur, nam omnia hæc, quæ nervina dicuntur, Febrim excitant v. g. omnes Medici ab *Hippocrate* usque ad hoc tempus dicunt uno ore Castoreum esse Antiparalyticum, & hoc si sumatur ad dragmam unam, tum in corpore sano Febrim facit; sic inter plantas Ruta dicitur Antiparalytica, si hujus libram unam æger assumat, habebit inde Febrim indomabilem, & sic de-

de cæteris, sic ergo videtis veritatem horum, quæ dixi, omnia Paralytica Febrim excitare.

§. 1057. α. Hæc sale & oleo abundant acri, v. g. Artemisia, Absynthium, Tenacetum, Ruta, Salvia &c. hæc curant Paralysin, sed non nisi Febrim faciendo.

β. Hæc etiam curant, quatenus calefaciunt & Febrim producunt, dicuntur Antiparalytica, sic sæpe cum Sale Tartari soluto in Vino vel Cineribus Clavellatis in pauperibus curavi Paralysin.

γ. *Olea* quoad tenacitatem seu calida applicant & retinent, ut est oleum Castorei, Rutæ, Salviæ, Euphorbii.

δ. Ut est Sal Volatile, dein offa *Helmontiana*, Sapo Venetus &c. verum hæc non parva dosi, ut fieri solet, sed magna copia dari debent, sed dedi ad uncias duas vel tres Saponis Veneti in sero Lactis, vel decocto Petroselini soluto de die.

ε. Sumite v. g. vermes dictos Majales, faciatis hinc tincturam, si hujus assumatur dragma una, tum fortis Stranguria oritur, & si nimium assumatur, tum vesica inflammatur, hinc & Cantharides alii reprobant, potius sumantur alia, ut succus vivorum Millepedum, hoc mirifice dissolvit, sed magna copia est danda v. g. ad uncias decem de die, cum centum Millepedes vix dant dragmam unam succi, Castoreum quoque est optimum, & ab omnibus veteribus laudatur interne cum aceto datum.

ζ. Sales Fossiles, ut Sal Ammoniacum &c.

η. Si quem Paralyticum Medicus sanare velit, videat, an conducant attenuantia, motum & Febrim inducentia, an impetum retardantia, laxantia,

tia, derivantia; hoc scitur ex prædictis, omnia Febrim facientia dabit Medicus, talia sunt Antiparalytica, Nervina, Cephalica dicta, quæ sunt calefacientia, Paralysi contraria, in excessu calorem producentia, dum morbis est à frigore, sic solvetur.

2. *Vomitoria.* Si nempe Paralysis oriatur, & his dictis non auscultet, cum tamen vires sint superstites, tum datur Vomitorium, nam hoc genus nervosum valde concutitur, v. g. sumatur radix Hellebori Albi pulverizati vel paululum Euphorbii; & hinc Sternutatio excitatur, & genus nervosum valde concutitur, ergo videmus hæc esse Antiparalytica, modo non adsit diathesis ad Apoplexiam, Vomitoria sæpe mille Paralyticos sanarunt, hinc sæpe in hoc malo plus Empyrici audaces, quam Medici scrupulosi præstant, nam vomitus est concussus systematis nervosi, si aliquoties repetatur, excutit id, quod alicubi impactum est.

3. Medicamenta, quæ in speciem aquæ sanguinem liquescere faciunt, sunt optima, nam Paralysin, si modo hæreat in nervorum tunicis, Diarrhæa solvit; hæc commendat *Sydenhamus*, quam methodum tutissime secutus sum optimo cum successu, dedi Mercurium Dulcem cum Diagrydio & Jalappa, & singulis vicibus aliqui nervi restitui incipiebant, & antequam medicamentum præscriptum esset exhaustum, morbus jam erat superatus.

4. Hæc optima, certissima, paucis exercitata methodus est, si malum non cedat dictis, examinemus, an corpus ferat calidum, si ferat, præscribemus decoctum ex Guajaco (nam novi vegetabile magis stimulans) Santalis tribus, & Sassafras, ut æger per septem dies singulis horis uncias duas.

duas vel tres assumat, donec corpus humectatum hoc Apozemate sit repletum, deinde lecto imponatur æger omnibus vestimentis nudatus craticula imposita cum Spiritu Vini ut sudore diffluat, deinde cum pannis fumo Thuris vel Mastichis suffitis dorsum & spina uti & totum corpus fricatur, hac ratione sudor provocatur, & multi Paralytici sunt sanati, hac methodo curavi hic fœminam, cui Paralysis erat ad unum latus, si vero pars quædam externa sit affecta, tum sudet æger in lacunari. Si vero paralysis his non superetur, tunc, pessundatur æger, quod monuit optimus Duretus.

§. 1058. *Frictiones siccæ.* Est summum contra Paralysin hactenus notum remedium. Veteres ægros in balneum siccum in aëre calido ponebant; & fortissime juxta spinam dorsi perfricabant pannis crassissimis, sicque sæpe motum Febremque faciendo Paralysin solvebant panni, si fumo accensæ Camphoræ, Benzoini, Asa Fœtida, Thuris, Olibani, Galbani & similium gummi imbuantur; non est penetrantius linimentum, nam dum hoc fit, gummi illa in penetrantissimos spiritus resoluta sunt, paulo post fricamus pannis calidis, sic optime resolvitur obstructum; pariter si fiat ad medullam Spinalem, nempe tecti lacunari superposito, tum accenso gummi aromatico perfumantur. Alii fricant cum oleis, sed illa raro penetrant ultra ductus Adiposos, alii cum spiritibus, sed in his simus prudentes, nam spiritus Matricalis, spiritus Reginæ Hungariæ & similes ex siccant nervos, Spiritus alcalini Volatiles, ut Sales Ammoniaci meliores quidem, sed plerumque nimis Caustici sunt; modus utendi datur in *Materia Medica.*

Oleosis. Hæc hic quoque adhiberi possunt, sed non

non quoad oleosa, nam hæc tantummodo laxant, sed quatenus spiritus aromaticos in se habent, sic & emplastra de Galbano vel Sagapeno à Nucha usque ad os Coccygis applicari possunt. v. g.

℞. Gummi Galbani ℥vj
Ol. Rutæ
— Castorei infusi ana ℥j
Empl. de Cerato vel
Meliloto q. s.
M. F. Emplastrum.

Cucurbitæ. &c. juvant, hæc methodus sæpe multos curavit, brachium Paralytici levibus viribus cedebant, ut doleret & ruberet, sed non excoriaretur, tum scarificabant, sic stimulantibus motum ad partem alliciebant, quod adhuc in usu est apud Ægyptios aliasque gentes. Sic in Asia inurunt cum Urticis pauca stigmata bono cum successu.

§. 1059. Sæpe tumor vicinus vel Scirrhus nervum comprimit, nisi hunc tollo, reliqua non sufficient, & si tollam, reliquis non egeo, hinc attendendum, ut hæc effici possint.

Sedem. Hac in re multum emolumenti capimus ex tabulis *Eustachianis*; nam si v. g. digitus sit Paralyticus, tum respicio ad digiti musculum, quem sensim prosequor usque dum venio ad Ganglionem & musculi finem, ubi hic hæret morbus (nisi sit in cerebro, quod rarò forte accidit) tum huic loco medicamenta applico & sic de cæteris.

Possibile. Sed hoc est facile, & sciri potest ut dixi, nam si Paralysis sit in digito, tum causa

sa quandoque hæret in musculo, quo usque ad cubiti finem excurrit, quandoque in nervo, qui multo altius adhuc oritur, quandoque in cerebri puncto aliquo. Omnis Paralysis, quæ accidit functionibus integre manentibus, ejus causa hæret in Mesenterio. Anatome hoc maxime eminet in Neurologia, de qua veteres parum sciebant; *Illustri Willisio* & *Lowero* debemus cognitionem nervorum ad vitalia, ad viscera maxime tendentium in Opere in quarto Londini edito, quomodo ad musculos tendant, *Vieussens* enarrat, non ita viscerum nervos, ut *Willis* vel illos musculorum; si conjungantur hi duo, apparet, quibus nervus ad quemlibet musculum pertingat, & quia describuntur musculi facientes ad singulos motus, Ganglionum originem in Craniis & Vertebris; si sub Ganglione unus sit musculus, semper vitium hæret infra Ganglionem, si plures musculi Paralytici, at si omnia supra Ganglionem libera sint, tum malum erit in Ganglione; si totum inferius corpus Paralyticum, malum hærebit, ubi omnes nervi oriuntur, nempe in origine medullæ, sic ex. gr. si sciam musculos Paralyticos, scire debeo, ubi omnes illi nervi conveniunt, & si alibi libertas, vitium erit, ubi illi sex nervi concurrunt, sic semper proceditur, sedecim, viginti & ad superiora usque omnes musculi sunt Paralytici v. g. si ad caput sit vitium, digestio, deglutitio, motus Peristalticus, fæcuum exclusio cessit, ergo ad externum musculum paris octavi *Willisiani* hæret malum, si oriantur ex theca Vertebrarum, signum est, causam comprimentem hærere in initio medullæ Spinalis, si musculi faciei liberi, etiam liberi erunt præcordiorum, nam ex eodem foramine basis

Cra-

Cranii emergunt, si obstructum sit par vagum & nonum, tum reliqui liberi sunt, sed si in nervis faciei sit Paralysis, nulli nervi ex vertebris ad faciem tendunt, signum est, cerebrum comprimi usque intra Cranium, sic si unum crus Paralyticum alterum non, causa in magno nervo ad Os Sacrum eunte esse debet; sic alibi si sciantur nervorum Collectiones, Ganglia, distributiones itus ad musculos, scitur semper origo mali vel in pluribus vel infra Ganglia in nervo solitario, hinc si nempe extrema inferiora ut v. g. pes Paralyticus, tum malum est ad Os Sacrum, si brachium Paralyticum, tum hæret in Ganglione, quorum nervi ex vertebris & colli oriuntur, & hac ratione in his sumus certi.



Epilepsia.

§. 1060. Præcedentibus perfunctis facilis est pertractatio sequentium morborum exceptis Lue Venerea, Variolis & Calculo, reliqui morbi sunt quasi corollaria à prioribus dependentia. Epilepsia nomen ab urgente symptomate, sive potius singulari ac summe periculoso invadendi modo olim huic ægritudini à medicinæ principibus impositum, origine Græcum est; ortum enim trahit à verbo ἐπὶ *desuper* quasi *cito* & λαμβάνω *capio*, quod Latine non tantum significat simpliciter *apprehendo*, *comprehendo*, sed etiam sensu composito *imparatum aggredior*, incautum opprimo, quo sensu venit apud multos Auctores Græcos, ita ut vocabulum Epi-

le-

lepsiæ vi ipsius vocis indicet affectum, qui hominem quandoque, imprimis si idiopathice eum affligat, tale quicquam nec cogitantem, nec sibi metuentem repente ac instar fulminis adoritur, hinc Epilepsia est subitanea & inopina prehensio. Hic affectus apud Græcos & Latinos, propter diversa atque admiranda ejus symptomata, variis insuper insignitur nominibus, quorum duo, quæ apud Medicinæ scriptores in frequentiori sunt usu, tantummodo attingam, Græci enim μεγάλην νόσον, ἱερὰν, ἡρακλεῖαν, παιδίαν, ἐπίληψίαν, ἐκλάμψιν vocant. Latini morbum Comitialem vocant: verum hujus nominationis non eadem ab interpretibus ratio datur. Dum alii volunt hunc affectum ita esse vocatum, quod olim concidente Epileptico comitia interrumperentur; alii vero quod in Comitiis eo morbo correpti maxime infestarentur, & detegerentur, ut adnotavit Castellius ex variis antiquitatum scriptoribus; cur Comitialis vocatur, explicat *Serenus* his versibus:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia justa recuset,
Sæpe etenim membris acri languore caducis,
Concilium populi labes horrenda diremit.

Caducus morbus appellatur à subito casu; nominatur etiam morbus, qui inspuatur, & ad Græcorum imitationem, Magnum, Herculeum, Epilepsiam &c. appellatur etiam Morbus Sacer; cujus appellationis etiam variæ occurrunt rationes: ex quibus hæc mihi maxime probabilis videtur, scilicet Sacer est nuncupatus ob magni-

tudinem & vehementiam symptomatum, quibus præ aliis hic morbus est stipatus, ita ut Morbus Sacer idem significet ac Morbus Magnus. Quia veteres Græci, qui hunc affectum ἱερὸν nominarunt, omnia vocarunt ἱερὰ, quæ magna & horrenda erant, eadem ratio est Latinorum, qui vocabulo sacri rem magnam indicarunt, ut constat ex isto tristissimo Poëtæ, *auri sacra fames*; quod gravissimi linguæ Latinæ auctores interpretantur, *magna fames*. Hinc ἱερὸν aliquando magnum significat, unde & major morbus *Celso* dictus; aliis vero, quod Divinus sit morbus (ut inquit *Cælius Aurelianus*) à Diis immissus in vindictam. Summus in nostra arte dictator *Hippocrates*, ubi de hoc affectu scribit, quædam satis memorabilia habet, *in nulla re*, inquit, *videtur mihi aliis Divinior esse morbis, neque sacratior: verum naturam habet, quam etiam reliqui morbi unde fit; homines vero naturam & causam ejus Divinam esse putarunt præ inexperientia & admiratione, propterea quod reliquis morbis nulla re similis sit*: tum pergit; *si propter admirationem Divinus censetur, multi morbi Sacri erunt, & non unus, quemadmodum ego demonstrabo; quos nemo sacros esse censet &c.* vocatur Fulgor, quod haud aliter ac fulgere subitaneo maximoque consternati ægri concidant; contagiosum vetustas credidit, hinc eo laborantes fugiebant, & ne familiam inficerent; rus ablegabant; despuimus quoque Comitiales morbos (ut apud *Plinium*) hoc est contagia regerimus nunquam plus horrescit natura, quam ad conspectum Epileptici & crudeli insultu correpti, à quo subito prosternitur & in omni fere musculo convellitur æger, dumque ex ore spumæ cum sibile

sibilo moventur, torvo vultu & retortis oculis, in propria sævit viscera, linguam dentibus lacerando, miraque in se ipsum mala minitando; quæ accurate atque elegantissime, his versibus prosequitur *Lucretius*.

Quin etiam subita vi morbi sæpe coactus,
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu;
Concidit & spumas agit, ingemit & tremit artus,
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat:
Inconstanter & in jactando membra fatigat:
Nimirum, quia vis morbi distracta per artus
Turbat agens animam, spumans ut in æquore salso
Ventorum validis fervescit viribus unda.
Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore
Afficiuntur, & omnino quod semina vocis.
Ejiciuntur, & ore foras glomerata feruntur,
Quâ quasi consuerunt & sunt munita viaï.

Hinc Epilepsia adest, si homo subito amittat sensus internos & externos, motus voluntarios, respiratione & pulsu integre manentibus, ut in Apoplexia cum spuma ante os, sic multum convenientiæ cum Apoplexia habet, sed differunt, quod in Epilepsia est involuntarius spasmodicus motus hujus vel illius musculi, sed Apoplexia est Paralysis universa, omnis vero Epilepticus antequam resurgat, fit Apoplecticus, inde potest esse morbus valde vicinus.

§. 1061. *Hippocrates* de hoc morbo integrum librum conſcripſit, unde neſcimus, quanti ingenii vir fuerit, cum vixerit ſeculo adeo idololatrico & ſuperſtitioſo, dicit, cur Sacer dicatur, ridet, 1. quia Sacer vocatur ut omnes alii, & 2. Sacer, quia Sacerdotes lucri gratia curant, non mirum eſt, quod olim, cum inſcitia regnaret, hoc ita fuerit creditum, ſed in regionibus, ubi homines Chriſtiani adhuc tantum de Dæmoniacis docti ſunt, putant homines eſſe Dæmoniacos, hoc vix credi poteſt, nam hoc malum plerumque Caſtoreo tollitur, vide *Hiſtoriam Tobiæ*, quæ nobis Apocrypha eſt, necati erant ſponſi ſeptem, tum paſſus eſt *Tobias*, ut fel ſupra carbonem ureret, Dæmonem abiturum eſſe, unde patet fuiſſe Paſſionem Hyſtericam, qua pellebatur, accuſabatur ira divina, quod ob peccata parentum invito Deo ita fuit miſeris data, & mille nugæ, accuſabantur incantamenta, miratus ſum inter Chriſtianos hæc vigere, Hyſtericam incantatam dici, ut plures obſervavi, vidi miſeram vetulam fere delirantem accuſatam, quod Epilepſia eſſet; ſupra hanc rem legatur *Hippocrates* in Libro de *Morbis Divinis*.

§. 1062. Certe hic fiunt tam miræ mutationes & formæ, ut homines putarint hos morbos eſſe Dæmonicos, nam vidi decurrentes in gyrum concentricum, & ad centrum venientes cadebant, vidi nonnullos quoque Paroxyſmo invadente canere, currere, geſticulare, hinc æque tot variationes obſervantur, Idiotæ autem videntes Epilepticos inſultus, dixere, incipit Spiritus malignus operari, ſed fuerunt tantum actiones muſculoſarum partium; vidi in inſultu caput intortum, tum erat in Maſtoideis & caput rota-

tori-

toribus Convulsio rigida, palpebræ manus invertuntur, musculi horum inordinate moventur, an mirum sic inverti manum aliudve membrum aliquamdiu? id tota res est.

§. 1063. Sic Epilepticis quandoque caput ita intorquetur, ut mentum ad spinam dorsi ponant, linguam exserant, hinc dicunt morbum esse Dæmoniacum, sed est modo Spasmus seu inordinatus Fluxus Sanguinis arteriosi & spirituum, in nonnullis musculis cæteris quiescentibus, & ita Epilepsia oriri potest, si cerebrum sit impeditum transmittere, spiritus adhuc multo plus fluunt solito, si vero tum & hæc loca vel obstruuntur vel spiritus, qui transfluebant, non magis adsunt, tum fit Apoplexia, & hic est morbi decursus. Vidi puellam in hac urbe, quæ cum matre mecum colloquebatur ante januam, tum mater dicebat, accipiet Paroxysmum, tum statim eam in gyrum actam vidi & tarde procumbebat, hæc species non est pessima, hinc musculorum actio non à Dæmone, non ab anima, sed à solo influxu pendet. *Wepferus* in Tractatu de *Apoplexia* dicit sic fieri posse in brutis Epilepsiam, nempe trahendo ad certas partes nervos destinatos. Omnis Epilepsiæ causa proxima est aggregatum talium conditionum Physicarum, quæ, dum in corpore existunt, faciunt, ut necessario sequatur nimia liquidi nervosi in nervos motorios actio, nulla vero in sentientes derivatio, ut hæc duo simul fiant, oportet, ut causa mali proxima maximam suam exerceat vim, ubi horum nervorum initia habentur, id est, in cerebro; sed quoniam spasmodica illa & reciproca musculorum contractio & sensuum deletio sunt hujus morbi præcipua Phænomena, proderit primo

causas contractionum muscularium, quatenus à spiritibus pendent, & prout illæ fiunt in sanitate à voluntate hominis, paucis indigitare & postea in hujus contractionis involuntariæ & sensuum deletionis causam breviter inquirere. Ex cordis ventriculo sinistro, pars sanguinis subtilior pulsa in Aortam per Carotides & Vertebrales arterias ad cerebrum fertur, & ex illa, per corticalem substantiam, sive sit glandulosa, seu vasculosa, secernitur liquor subtilissimus, spirituum animalium nomine clarus, si velis vocare succum nervosum, per me licet, qui per tubulos minutissimos transit ad tenuissima illa filamenta medullaria, quæ initio nervorum, tam sentientium, quam motui famulantium constituunt. Omnia illa initia uno vocabulo nominantur Sensorium Commune. Hi spiritus, ex Sensorio Communi, à mente in hunc illumve musculum, ope nervorum, qui ad singulos musculos vadunt, & qui musculorum fibrillulas motrices conficiunt, determinantur: ideoque pars musculi motrix inflatur, id est, secundum longitudinem trahitur, secundum latitudinem expanditur, sicque necessario pars mobilior ad partem minus mobilem adducitur. Quando itaque liquidum illud nervosum, ordinato fluxu, pro determinatione mentis, in hos illosve musculos deducitur, hi vel illi musculi moveantur necesse est; si vero quibuscunque de causis mox enarrandis illam harmoniam inter corpus & animam perturbantibus spirituum influxus, inordinatus & inæqualis fiat per musculos modo hos, modo illos, producetur motus involuntarius & convulsivus. Sed tam magna & inordinata, in nervos motorios & sic in musculos, liquidi nervosi derivatio,

tio, fieri haud poteſt, quin ſimul nervi ſenſationibus deſtinati, requiſita hujus liquidi copia orbentur, ac etiam, propter eorum contiguitatem cum nervis motoriis & maximas circa has partes mutationes, concuſſi, compreſſi, & ad functiones obeundas inepti, tandem evadant; ideoque omnes ſenſus interni & externi primo vacillabunt & dein pro tempore ceſſabunt, uſque dum cauſa irritans vel ſpiritus in muſculos determinans, agere deſinat; & tunc quidem ſenſus paulatim redibunt, & reſolutio fiet morbi pro illa vice. Ad cauſas hujus mali remotas vel antecedentes nunc accedo, quæ vel ſunt illæ, quæ in corpore præexiſtunt & illud corpus ad talem morbum diſponunt, vel illæ ſunt, quæ corpori ſic diſpoſito accedunt, & cum prioribus mortem exquiſite faciunt.

§. 1064. Cauſas apud omnes indagando obſervatas in ſex capita contraxi, ita ut parum addi poſſint. 1. Epilepſia alia eſt hæreditaria, ſcilicet quando in quibuſdam familiis dominatur, & ſæpe ab avo in nepotem, dum in patre ſilet, derivatur. Nullus morbus magis abit in progeniei detrimentum, quam Epilepſia, raro parente utroque Epileptico nati ſunt libri non Epileptici, aliquando ab avis venit, vidi enim infantem natum parentibus non Epilepticis, tamen Epilepſia laborare, ſed mihi examinato patuit, Patris Patrem fuiſſe Epilepticum, hinc ſi à Nobilibus vel Principibus conſulamur, dicere debemus metum ſubeſſe, ſed diſtinguenda eſt Epilepſia, quæ ab externo accedente non continuatur in progenie, at genita plerumque tranſit. Sperandum eſſet, ut tales homines matrimonium non inirent, ſed hi homines valde pruriunt in Venerem, ſic vidi pa-

trem in quadam domo Epilepticum, cujus infantes omnes Epilepsia sunt mortui.

2. Alia est Epilepsia congenita, fœtui communicata in utero materno, dum prægnans mater conspectu Epileptici, aliave de causa, perterrita fuit. Sic vidi matrem gravidam, quæ hominem Epilepticum videns hinc adeo perterrita fuit, ut domum redeuns statim infantem Epilepticum, sed mortuum tamen non ita multo post peperit, causa Epilepsiæ Hereditariæ nemo rite explicabit, quia in nullo singulari corporis loco inveniri potest, sed generatim dicere possumus, quod sit morbus à labe seminali, & ex tota quasi natura & fabrica corporis ægri pendens; eodem modo, ut à fabrica corporis virilis vel fæminini pendet confectio seminis, vel evacuatio Menstruorum, certa quadam ætate; sed conditiones Physicas, ad hanc speciem Epilepsiæ requisitas, vel causas disponentes ignoramus. Eadem fere sunt dicenda de Epilepsiæ Congenitæ causis. Quomodo enim vis matris imaginatrix fœtui Diathesin Epilepticam conciliare queat, quis explicabit? quod tamen hæ duæ species Epilepsiæ ex tali causarum diversitate oriantur, recentiorum æque ac veterum observationes satis evincunt.

3. Fomes vel causa mali in Epilepsia Idiopathica semper circa vel initio partes cerebrum constituentes latitat; & esse potest omne illud, ex quo cerebrum in integumentis, superficie vel ventriculis suis male afficitur; hoc ex observationibus scimus fieri per vulnera, contusiones, abscessus, pus, saniem, ichorem, sanguinem, lympham acrem, fætidam, excrescentias osseas Cranii interni; homo enim laborabat violen-

lentissima Epilepsia ab omni nimia agitatione, & repletione corporis, Veneris pastu, cursu, illi nil juvat, & post mortem in ejus Cranio aperto inventa est Exostosis instar cornu, unde tunc temporis cerebrum magis expansum premebatur contra incrementum, hoc statim convellebatur, aliter liber erat, si nullus esset impetus in Exostosin; in hoc cadavere etiam Sinus Falciformis inventus est osseus, unde si æger agitaretur, sanguis cedere vel naturaliter exprimi non poterat; hinc presso cerebro evacuatur in Sinus Venosos; eadem producunt fragmenta, spinæve ossium, vel instrumentorum lædentium Meninges Cerebrumve; itidem Argentum Vivum ad cerebrum quacunque via delatum, causam præbet frequentissimam Epilepsiæ in fossoribus hujus metalli, in quibus, in cerebri cavitatibus & in magnis ejus finibus deprehenditur Mercurius, qui, prout hi homines, vario modo se convertunt aut inclinant, Epilepsias diras producit. Hunc affectum efficiunt etiam cerebri Inflammationes in Acutis, meningum corruptiones vel erosiones à carie ossis, bile atra vel & gummatibus Venereis sæpe etiam oritur hoc malum, quia puerorum & adolescentum tenella & paulo provectior ætas, plerumque sex rerum non naturalium abusu & prematuro ac nimio Veneris usu corrumpitur, cum è contrario etiam hoc malum ex seminis in vesiculis seminalibus vel aliis partibus nimis diu retenti corruptione ortum quoque ducere potest.

Has causas juvant &c. Non puto has causas semper facere Epilepsiam, nam omnes homines haberent Epilepsiam, & morerentur Epileptici, sic v. g. in cadavere post mortem a-

perto inventum est apostema ad Duram Matrem, ille si quiesceret, bene se habebat, si vero se moveret, statim Epilepticus fiebat, si vero ejus vires essent minutæ, ut ab Epilepsia oritur, tum ad se redibat, sic dicitur de *Muhameto*, quod si summopere meditaretur, tum incidebat in Epilepsiam, sed ille hoc vitium tegebat dicendo scilicet se tum cum Spiritu Sancto loqui.

Plethora &c. Hæ causæ faciunt majorum arteriarum cerebri intumescentiam, hinc Epilepsiæ subjecti insultum patiuntur post Ebrietatem, actum Venereum in eo vel post eum, & Epileptici dicti sunt Lunatici, plane fit ut in digito spina vitrea si quiescat, non sentitur, sed quam primum motus Febris interne accederet, statim dolet, hinc si causa quiescat in Epilepsia, quidem adest & manet, sed non in actum deducitur.

4. Illi vero speciei, quæ Sympathica nominatur & ubi mali fomes in aliqua alia corporis parte, quam in cerebro proprie delitescit, causas præbent omnes generis nervosi affectiones violentæ, ut sunt diuturni & acuti dolores Periodici, Passiones Hystericæ & Hypochondriacæ per sua signa manifestæ, nervorum irritationes & rosiones (primo) à Lumbricis, qui adesse cognoscuntur, ex anhelitu, narium pruritu, ventris dolore & fæcibus cineritiis (secundo) dentitione difficillima, (tertio) retento acido & acri meconio cognito ex doloribus Torminosis, Singultibus, Nauseis, Convulsionibus, Fletibus, Pervigiliis, Macie (quarto) lacte caseoso & acri, quod in infantibus hærere patet, ex fæcibus alvi viridibus, acidum spirantibus, materie, vomitu rejecta, acida; unde

de dolores, tormina, flatus in tenellis istis corporibus; (quinto) contagio varioloso, quod per acrimoniam suam, dolores Convulsionem excitantes circa dorsum, artus, & partes scrobiculo cordis subjectas procreat. (sexto) Cardiagmo, id est, erosione oris ventriculi superioris; (septimo) inedia, unde humores maxime moti acres fiunt; (octavo) ulcerosa saniosa materie alicubi hospitante, sic à ventriculo ulcerato Epilepsiam ortam observavit *Thomas Bartholinus*, ex Liene & Hepate affectis, *Tulpius* ut & *Hollerius*; similiter *Harvæus* annotavit fæminam quandam, eo quod occasione exulcerationis uteri liquor acrior in ejus vulvam injectus esset, mox toto corpore convulsam fuisse.

5. Hujus affectus etiam causa, sæpe adscribenda est interceptioni quarundam secretionum, naturaliter & solito à corpore peractarum, ideoque, cum materies retenta sit, necessario sequi debet vasorum repletio. Huc referuntur Menstruorum, Lochiorum, & Hæmorrhoïdum suppressiones, Alvi, Urinæ, Sudoris retentio, saniei vel puris in massam sanguinis resorptio, quæ aliter ex corpore eliminari debebant; ex his causis minimæ arteriolæ per cerebri meninges, substantiam & ventriculos dispersæ comprimuntur; unde Obstructiones in his tenerrimis partibus, & tandem diathesis acris, nervosum genus stimulans, & vellicans, inde oritur, unde illa enormis dispositio in motu liquidi nervosi versus suum fontem. A nimia itidem vasorum inanitione ortum suum sæpe ducit Epilepsia scilicet vel à sanguinis aut seminis excretionibus nimiis, aut humorum

dissipatione, per maxima sudoris & urinæ profluvia, vel per hypercatharses.

6. Multi Epileptici laborant suo Paroxysmo à Moscho, Ambra, Rosis, Narcissis odoratis, Plumis combustis, Zibetho, Thure &c.

Elevatæ Auræ. Alteri à Calcaneo, alteri à Sura, alteri ab Omoplata &c. incipit, & docent esse quasi in hunc locum, à quo incipit, gutta aquæ frigidæ caderet, & tum sensim adscendit quasi aura frigida; tum dicunt ægri, juvate vel curate me, malum accipio, si tum antequam supra tibiam adscendit, ibi vinculo constringitur pars, tum ille Paroxysmus præcavetur, si vero usque ad Hypochondrium sinistrum adscendit, tum Paroxysmus jam adest, sic & si ab humero incipiat, tum si ad collum veniat, malum adest; hinc patet morbum in nervis adesse.

§. 1065. Hic centum Auctores allegare deberem.

§. 1066. Non si nos sani partem diu violente constrictam teneamus, tum sentimus cerebrum inde affici. 1. Adfui domicellæ satis ingeniosæ & juvenculæ Epilepticæ, casus erat terribilis, in medio sermone optima virgo dicit, jam incipit malum, mox omnes musculi mire convellebantur, si cutim foderet, non sentiebat, erat tanta intropressio, ut omnem imaginationem, sensumque interciperet, viginti quatuor horis ita mansit, & in ipso Paroxysmo mortua est, vidi hac ratione tres pueros in una domo occubuisse, nemo ab Epilepsia moritur nisi antea sit Apoplecticus, sic fortuna vidi hic in platea puellam mortuam hoc modo ab Epilepsia.

2. Infantibus ab Epilepsia oculos vel gena male

male positòs manere observatur ob nimiam violentiam musculi manentibus male positis; nam sæpe musculi tam violenter afficiuntur, ut annuli vel membranæ coërcentes rumpantur, hinc nonnullis oculi, nonnullis alia membra intorta manent, unde semper Diabolus accusatur, quia tot deformitates fiunt.

3. Ob deturbationem coloris dicunt esse debere Demoniacos, vidi quasi & Æhtiopistas toto corpore, vidi cadavera, in quibus nigrescebant adhuc musculi, musculis ita convulsis, sanguis musculos transire non poterat, sed expulsus supra musculos in vasa pinguedinosa, hinc obstetrices ex annulis nigris vel lividis circa os vel oculis in infantlbus Epilepsiam distinguunt à fictis Epilepticis. Sic olim vocatus ad puerum, ut testimonium darem, an ille esset interfectus vel à Diabolo vel à veneno, re bene examinata dixerunt adstantes illum bene centum intra viginti quatuor horas Paroxysmos habuisse, eumque in Paroxysmi initio salivasse &c. hinc re perpensa judicavi sanguinem ob velocitatem circulationis esse derivatum in vesiculas Adiposas, & hinc illam nigredinem esse ortam, in his enim hominibus primo labia livescunt, dein oculi & tandem tota facies, & sic porro.

4. Semen à viris Epilepticis Spasmo affectis dejicitur eadem violentia, ac si essent in actu Venereo; vidi urinam ejectam ad incredibilem distantiam, vidi penem in infantibus erectum, si magnus adsit Paroxysmus, tum sanguis in musculos fluere non potest, hinc nonnunquam quædam arteriæ rumpuntur, unde sanguis per nares, vel Hæmorrhoïdes vel per tussim ejicitur.

§. 1067. In genere quo vehementius & inopinatius Epilepsia invadit, & quo ipsius Symptomata graviora, eo periculosior est hic morbus, sive ad diuturnitatem ipsius, sive ad transitum in alia pejora mala, sive ad mortem spectes. Duæ illæ species ex causa hæreditaria & congenita omni fere Medicorum suffragio prorsus insanabiles censentur, quippe quod in illis ex mala partium conformitatione, id est, ex tota natura morbus pendeat, & hoc à multis seculis nimis verum esse deprehensum fuit; si Hæreditaria sit, tum causa materialis est, & æque certo tempore nascitur ac in viro barba, quæ crescere non impeditur nisi testibus excisis sic & Epilepsia.

Idiopathica? Epilepsia, si unquam capiat medelam, curatu est difficilima, quia intra Cranium hæret, & ipsum cerebrum adeo mutare non possumus. Aperui olim Epilepticum cum *Clarissimo Ravio*, ubi caute scrutati sumus in causam, & invenimus, quod processus falciformis haberet aculeos, si tum oriretur Plethora, cerebrum affricabatur, & fiebat Epilepsia.

Sympathica. Epilepsia, omnium minime periculosa & frequentissima est, adeo ut ex centum Epilepticis nonaginta fere Sympathicæ sint; unde ille morbus toties fit curabilis: sed quia ex consensu aliorum viscerum, aut partium corporis externarum cum cerebro morbus oritur, facilius vel difficilius curatu, hoc malum pronuntiatur, prout ejus fomes delitescens est vel manifestus, à medelis eliminari vel debellari potest. Haud raro Epilepticos insultus patiuntur infantes & pueri, immediate ante Variolarum aut Morbillorum eruptionem; hi

hi vero insultus omni periculo vacant, & plerumque optimum dant signum. Si vero ægris adultioribus, debilioribus, aut sub finem morborum auctorum, contingant, ut plurimum de his conclamatum est; *Hippocrates* dicit, *quibus Epilepsiæ ante pubertatem contingunt, mutationem habent. Quibus vero accedunt viginti quinque annos natis, plerumque commoriuntur.* In observationibus multorum Practicorum est, quod si Quartana Epilepsia superveniat, quamdiu Febris durat, Epilepsia conticeat, Febre vero curata, rursus hic morbus recrudescat.

§. 1068. Hoc fit, quia causa latens sciri non potest, hinc de morbi sanabilitate non sumus certi, licet ego plusquam vinginti curaverim, sed tamen non est certa cura. In Epilepsia ex osse carioso ex Lue Venerea radices Pæoniæ, rasuræ Angelicæ, Alceæ quid efficient, si à sinu osseo nil perditum sit; hinc videamus, qua ratione ac methodo curari aut palliari debeat dirissimus hic affectus, ut nihil, quæ artis sunt, hic omittamus. Antequam tamen ad singularem hujus morbi medelam accedam operæ pretium fore duco quædam generaliter præmittere, quæ feliciorem in hisce medendi methodum indicatura esse spero. Itaque primo, prudentis Medici est omni, qua pollet, solertia & industria veram indagare mali naturam & causam scilicet, an sit Epilepsia Hæreditaria, Congenita, Idiopathica & sic porro: sedulo deinde inquirere, ubinam loci fomes morbum faciens, excitans vel irritans, hæreat; hoc faciendo, limites suæ artis agnoscit, & si morbus ullam suscipiat medelam, ad scopum fixum omnia sua molimina dirigit, sic-

B 7 que

que finem optatum assequitur. Si vero quis hoc negligeret, & indiscriminatim omnes Epilepsias eodem modo tractaret (quod nimis sæpe à quibusdam fit) omnia in tenebris ageret, & malum forte multo quam antea deterius redderet. Secundo quanquam in potestate Medici non semper sit morbi causam radicalem tollere, quæ corpus disponit, ut Paroxysmus fiat, quando causæ excitantes ei accidunt; tamen illas causas excitantes, vel renovantes fere semper avertere vel præcavere valet, hæ etenim sempiternæ non sunt, neque assiduo agunt: ex. gr. spinam acutam osseam in basi cranii interne enatam, tollere nemo valet; tamen ars utcunque potest impedire, ne ex nimio motu sanguinis vel Plethora, cerebrum ita disponatur, ut pressio ejus contra spinam sit tam magna, ut inde oriatur insultus morbi; quod verum etiam est de cæteris hujus mali causis renovantibus; hinc in accurata horum duorum disquisitione præcipue versatur sagacitas Medica.

§. 1069. Epilepsiæ Hæreditariæ & Congenitæ, omnem respuunt radicalem medelam, etenim medicamenta, quæ per παλιγγενησίαν curant, adhuc nos latent, quid *Helmontiani* jactent, quare nostra ars tantum versatur circa ablationem, scilicet vitanda sunt omnia, quæ humorum caput versus affluxum augent; sedulo præcavendo omnia illa, quæ unumquemque Paroxysmum præcedere solent; sic efficiet Medicus, ut, licet homo causas Epilepsiæ in suo corpore gerat, Epilepsia tamen rarissime laboret; si enim causa excitans sit Plethora, tunc octiduo ante solitum Paroxysmi tempus det purgantia, Diætamque tenuem instituat; & hac

hac methodo Medici celeberrimi effecêre, ut homines omni mense affecti vix semel in anno Paroxysmum habuerint. Porro, puto hos homines, qui Epilepsia Hæreditaria laborant, monendos esse, ut potius à prole procreanda vacent, ne aliorum miseriis causam præbeant; *Helmontius* dicit, quod ille, quî veram Epilepsiam curavit, medicamenta habere debet, quæ omnes humores omnino mutant, sed hoc efficere possumus per curam ligni Guajaci, per Purgationes quotidianas, per Jalappam & Mercurium Dulcem, sed puto tamen licet hoc faciamus, non restituturos esse ægros, si ergo à mala conformatione solidi oriatur, tum juvare nequimus nam semper in horum corpore causa Proœgumena adest, si modo causa Procatarctica accedat, tum tempora observo, modo quando incipit Paroxysmus, quo tempore, quæ Diæta &c. si v. g. oriatur circa Plenilunium, si circa tempus, quo Hæmorrhoïdes in viris & Menstrua in fœminis profluere solent, &c. tum concludo, hæc causa semper producit Plethoram, hinc Plethora est, quæ facit hunc morbum; si ergo hæc Plethoram facientia evitant, tum quoque evitant pro hoc tempore morbum; sic ægrum in hac urbe sanavi, ut per quinque annos non habuerit Epilepsiam, qui ante singulis diebus Paroxysmum accipiebat, sed tamen tum à furibus valde perterrefactus, iterum Paroxysmum accepit, sed tamen iterum hunc Paroxysmum evitavit se abstinendo ab illis, quæ Plethoram facerent, ut & motum, hinc hic modo videndum, an morbus pejor ab aquosis, an melior, an à vino, an à Venere, vel abstinentia, an ab urina nimis retenta vel nimis fluente, an à cæ-

teris

teris excretionibus auctis morbus augeatur vel minuatur, tum hæc unde juvatur, sequi debent, & in hac re non peccare, nam si illi, qui à Plethora vel nimio motu Paroxysmum accipiunt, multum vini v. g. bibant, tum iterum Epilepsia laborabunt, nam hic modo causa Procatarctica est curata, quæ plerumque hæret in affectibus animi, calore, in acrimonia & Plethora.

§. 1070. *Vel & Corporis.* Hæc symptomata notant causam hærere intra Cranium.

Singularis si v. g. Dura Mater dentibus ossiculosis sit instructa, vel si spinæ osseæ in sinu falciformi sint, hinc quid tum faceres? si scires, cum tamen minime adhuc cognosci potest, hinc omnino est incurabilis, sed tamen hic ægris succurrere possumus, si sciamus, quæ ipsis nocent & Paroxysmum faciant, tum evito ipsum Paroxysmum. Venæ Sectio ibi conducit, quatenus attenuat & evacuat.

Revellentia prosunt, uti omnia Antiepileptica, quæ aliquando sunt optima, modo causa morbi cognoscatur; nam in curatione Epilepsiæ Idiopathicæ omni molimine tentandum est, ut mali fomes ex cerebro extrahatur, tamen sæpe singularis ejus natura non dignoscitur; quando vero cognosci potest, tunc curatio est instituenda varia pro varietate causæ: v. g. si cerebrum vel ipsius meninges Inflammationem patiantur, conveniunt medicamenta Antiphlogistica, resolventia, nitrosa acida quacunque forma exhibita præsertim larga Venæ Sectio pro mali atrocitate sæpius repetita, tum Apozemata sive decocta ex radicibus Scorzoneræ, Graminis, Acetosæ, foliis Agrimoniæ, seminibus Cichorei, Lactucæ & similibus: huc

etiam

etiam ſpectant Clyſmata ex blandis laxantibus, admixto ſimul leni ſtimulo, ut ſale Polychreſto vel Prunellæ, tum & ventrem moventia Antiphlogiſtica ex Tartaro ejuſque cremore & cryſtallis cum pulpa Tamarindorum, Rhabarbaro, Sennæ foliis &c. pediluvia etiam & epiſpaſtica ad inferiora, ſæpe magno cum ſucceſſu in tali affectu uſurpantur. Si vero cerebrum vel in membranis vel in ventriculis ſuis, pure, ſanie, vel ullis aliis extravaſatis liquoribus aut extraneis corporibus afficiatur, tum revellentia diſcutientia, viam parantia, depurantia, pro ut diverſitas mali indicabit, ſunt uſurpanda: hinc Venæ Sectio, Purgatio, Vomitus, Inuſtio proſunt, quatenus miras mutationes in corpore facit, hinc quidem ſuaderem, ſi per ægri amicos licuerit in nonnullis locis, caput perterebrare; ſic enim vidi militem Epilepticum, qui cum commilitone digladiabatur & ab ipſo vulnerabatur, ita ut Cranium aperiendum eſſet, nam jacebat Apoplecticus à ſanguine effuſo, cum vero hic morbus curatus, Epilepſia quoque non rediit, ſed tamen hoc in levi Epilepſia non faciendum; nec quoque in ſæva inuſtiones ilico faciendæ ſunt; fonticulus epiſpaſticum, vulnus capitis hic valde proſunt, Quando deliteſcens morbi fomes ſe pateſieri non ſinit, Medici eſt tantum inhibere omnia, quæ malum excitant, ut ante dictum eſt de prioribus; ſed à Vino & Venere præcipue hic abſtineat æger.

§. 1071. Cum multifariæ ſint Epilepticæ Sympathicæ cauſæ, multifaria pro illis etiam requiritur curatio. Quare, ſi ex diuturnis & acutis periodicis doloribus oriatur, imprimis conveniunt Anodyna, Narcotica, Paregorica ex. gr. ſyr.

ſyrupus Diacodii, Opium puriſſimum, Laudanum liquidum, pilulæ de Cynogloſſo, vel de Styrace, doſi cauſæ & ætati adaptata. Si à Paſſione Hyſterica vel Hypochondriaca, omnia remedia fætida Antihyſterica proſunt, ut ex Artemiſia, Salvia, radicibus Ariſtolochiæ. Gummi Opopanace, Sagapeno, Galbano, Myrrha, Caſtoreo, Aſa Fætida, interne vel externe adhibitis; ſi à Lumbricis adhibenda ſunt amara, Anthelmintica, ſive vermes necantia & evacuantia; ut ſunt Ruta, Abſynthium Romanum, Mercurius Dulcis, Vitriolum Martis, Vitriolum commune, Diagrydium &c. Clyſmata ex mellitis amaricantibus, &c. ſi à difficillima dentitione gingivæ ſunt emolliendæ, refrigerandæ, gargariſmatibus mollibus & glutinoſis, ex Cremore lactis vel decoctis radicis Althææ, Malvæ cum pauxillo Nitri, ſyrupo Althææ aut Violarum; tum atterantur dentes ad corpora dura glabra, vel ſi fieri poſſit, diſſecentur in longitudinem gingivæ lanceola Chirurgica. Si à Meconii acris retentione ortum duxerit, detur laxativum ex Manna optima, ſyrupo Cichorei cum Rheo, Roſarum ſolutivarum, vel applicentur ſuppoſitoria ex ſapone Veneto cum Melle. Contra cauſam ex Lacte caſeoſo & acri uſurpanda ſunt antacida abſorbentia, cum laxativis mixta, qualia ſunt omnia mellita ſaponacea, pilulæ ex bile confectæ, oculi Cancri cum Manna & ſimilibus, quando malum fit à materie ſanioſa, alicubi in viſceribus ſub capite hoſpitante, partes affectæ ſunt laxandæ, materies mobilis, reddenda, pro ut diverſitas loci indicabit. Si vero fiat à Plethora, ex interceptione quorundam ſecretionum naturalium, quando id, quod interceptum eſt digno-

gnoscitur, facile intelligitur quid sit faciendum Medico.

§. 1072. *Solvendo.* Sic si malum circa pedes hæreat, tum locum exulcerare & apertum tenere possumus; hacque ratione Chinenses Medici putant se omnem Epilepsiam curare posse inurendo crustam ad tendinem Achillis, & acum ducendo cum filo infra eum, ut sic pars per menses in Suppuratione retineri possit relicto filo.

§. 1073. Hanc speciem, quæ oritur à genere nervoso affecto semper curare possum, sic novi mulieres, quæ Hystericæ ab odore Rosæ Paroxysmum accipiunt, hic ergo nimia mobilitas & facilis fluxus spirituum per nervos peccat, nam tum motus antea & mente determinatus æque fieri potest mente non determinante, & si hoc fiat, tum Paroxysmus oritur, hic modo requiritur, ut spiritus paulo magis hebetiores nervique plus duri reddantur.

Aromatum. Sic in hac urbe Juvenem radices Pæoniæ præscribendo curavi, verum cum in ejus usu non continuaret, recidiva passus est, sed cum iterum in usu pergeret, iterum sanatus est, verum tum simul motus corporis sunt jungendi, huc pertinet quoque radix Valeriana: aqua florum Tiliæ, si vero à tumore, tum hæc omnia malum augent.

Chalybis. Hinc aquæ Spadanæ, Chalybeatæ hic conveniunt, quæ sunt adstringentes. Pro mali eradicatione methodus Indorum omnium præstantissima videtur scilicet in Insula Ceylon, aliisque Indiæ Orientalis locis, ubi hæc Epilepsiæ species sæpissime occurrit, ægri talum, in quo fomes plerumque hæret ad tendinem usque Achil-

lis

lis adurendo, atque ulcus, per femeſtre ſpatium; apertum tenendo Suppurantibus & Cauſticis, illud quod nervos afficiebat, ſubducunt; ſicque Epilepſiam ex tali cauſa radicitus curant. Contra illum fomitem in extremis corporis partibus hærentem, qui ſenſu auræ elevatæ verſus cerebrum tendentis hominem occupat, conſulendum eſt ægro, ut, ſimul atque ante Paroxyſmi tempus percipit iſtam ſenſationem inſolitam in loco, illico partes circumambientes vinculo arctiſſimo liget; ſicque uervum comprimendo, ſæpe Paroxyſmus præcavetur. Tandem ſi à vaſorum inanitione, cum ſolidorum debilitate, cauſa morbi pendeat; vaſa cibis & potulentis Euchymis & Eupeptis replenda ſunt: in hunc finem exhibeantur lac recens Humanum, Aſininum, vel Equinum, ova, jura carnium, Corroborantia & Cephalica, ut conſerva Anthos, Roſarum Rubrarum &c. huc etiam maxime faciunt frictiones & exercitia.

§. 1074. Nil hic de ſpecificis & ſingularibus remediis dixi, ſed ſunt qui putant, ut *Paracelſus*, qui dicit, quod qui Cranium ſuſpenſi hominis geſtat liber foret ab Epilepſia, alius dicit calcem pedis ſiniſtri, alius vult curare per clavum, qui tranſivit ſoleam corneam vel carnem ſimul equi, ſic cuti talis clavus eductus in annulum confectus & geſtatus fuit *Helmontio* habitum ſummum remedium à filio demum revelatum, alii ungulam alcis pedis poſterioris ſupra omnia extollunt, quia hoc animal tota vita eſt Epilepticum, ſic & ob eandem rationem ſtercus Pavonis pro Antiepileptico habent, ſic alii laudant Cranium Suſpenſorium, quod quidem ſi à cauſa mobili ſit Epileptica & imaginatione vel impreſſione forti, curat

rat aliter nunquam, sic & alii sumunt Corallia rubra, Sal humanum, Cornu Cervi calcinatum Spiritum Succini, sanguinem Hominis jam modo decollati, & ex hoc spiritum, Oleum, pulverem & spiritum Secundinæ Humanæ, Rasuram & oleum Cranii Humani; ejus spiritum & oleum per destillationem cum Succino parata; spiritum & oleum cerebri Humani, uti & Cornu Cervi, Rasuram dentis Hippopotami. Unicornu tum fossile tum animale. Essentiam Castorei cum Spiritu Salis Ammoniaci, Succinum & omnia, quæ ex eo fiunt, quæ omnia quidem juvant, si à debilitate spirituum, vel à mobilitate vel ab acido, aliter nocent, sic in Brabantia est pallium divitioris, unde sumunt frustra & cranio nudo pilis insinunt, & sic fonticulum faciunt, & ea specie, qua fonticulus curatur. Quid vero alii de Ruta, Pæonia, Filipendula, Thalictro, floribus Liliorum Convallium &c. commemorant, hæc modo conveniunt, ubi causa frigida & laxitas, sic de Quercubus verum est, *Fabius Columna* suam Epilepsiam per radices Valerianæ Sylvestris curavit, cum enim erat juvenis multum temporis studiis impenderat, hinc debilis & laxus fuit, unde causa apparet. De hujus morbi palliatione pauca restant dicenda; primo convenit, ut æger nunquam aut rarissime maneat solus, præsertim instante Paroxysmo, sed aliquis semper adsit, qui caput, manus, brachia regat, ne terræ vel parieti membra allidat; & ne linguam morsu laceret, præstabit sacculum ex corio intra dentes immittere, evitentur omnia, quæ influxum Fluidorum versus caput promovent, quia ex dictis malum augeri necesse est. Quare pessime consulunt ægris,

ægris, qui, tempore insultuum naribus applicant Spiritus vel Sales Volatiles, quocunque titulo celebratos. Credo, quod multo salubrius esset consilium illis omnia talia interdicere, & potius liquidorum copiam à capite avertere, ægrum quantum fieri potest, in positura erecta tenendo, & simul manus ac pedes fricando, vel in aquâ tepidâ fovendo; ex his omnibus sic expositis & enarratis facillime intelligitur, cur remedia illa Specifica dicta à quibusdam auctoribus adeo decantata contra hunc morbum, aut nullum omnino præstent effectum, vel malum adhuc deterius efficiant: etenim adaptatio remedii ad morbum ex causarum varietate tantummodo pendet. Epileptico, victus rationi operam daturo, offert se primum aër, quem quoad fieri potest, oportet haurire purum &c. è contrario fugiat aërem impurum, inæqualem, nebulosum, malignum, ut & nimis calidum vel frigidum; item omnes exhalationes rerum fætidarum, acrium, ut Calcis vivæ, Carbonum, Candelæ &c. excitetur autem gratus odor herbarum odoriferarum, convenientium, cæterarumque rerum fragrantium. De cibo deque potu ægrotus attendat, ut utatur cibis moderate calidis ac siccis boni succi & facilis digestionis, ut sunt Gallinæ, earumque Pulli, Capones, Columbæ, Caro Agnina, Vitulina, Lepores juniores, Perdices &c. Condiantur Cinnamomo, Caryophillis, Nuce Muschato, aliisque stomachicis, & iis, quæ Antiepileptica vulgo dicuntur. Evitet vero cibos frigidos & humidos, & eos, qui concoctu sunt difficiles, ut carnem Porcinam, Anserinam, Passeres, Annates &c. Nuces Juglandes, Avellanas, &c.


Evitet Vaporiferos, ut Cæpas, Allium, Sinapi, Lactucam, Raphanum, Portulacam &c. quin etiam facile acescentes, ut Poma, Pyra, cæterosque fructus Horeos; item Legumina, Lacticinia &c. Pro potu seliget cerevisiam recentem bene tamen fermentatam; vinum generosum: puto enim non omne vinum Epilepticis, præsertim assuetis ac adultis esse prohibendum. Præterea æger probe observet, ut ejus ventriculus nec cibo nec potu nimium repleatur; neque inedia nimis exinaniatur. Exercitationes corporis sint moderatæ. Caveant sibi ægri, ne in gyros cogantur; neque in ambulando sæpenumero circumvertant; item ne prospiciant ab altiori loco, in summa à cunctis, quæ vertiginem, Epilepsiæ prodromum, ipsis parare valent. Item à studiis intentioribus & cæteris omnibus, quæ spiritus dissipant, & humores acres reddunt. Vitentur Vigiliæ, Lucubrationes. Somnus sit moderatus & nocturnus. Alvus sit laxa; si non sit talis sponte, arte ad munus suum excitetur, sed fiat id lenioribus Catarthicis, Diarrhææ, si adfuerit, in tempore prospiciendum est. Veneris usus, quamvis nonnulli eum detestati sunt, & ipsam Venerem breviorem Epilepsiam dixerint, assuetis, præsertim si juvenes ac sanguinei adhuc sunt, non interdicendus est; sit vero Medicus, sæpe enim Paroxysmus eo antevertitur, vide *Hippocratem* de *Morbo Sacro.* Urina non retineatur, sed quoties urget, reddatur. Tandem animi Pathemata omni diligentia, quantum fieri potest, fugienda sunt, imprimis timor, terror, ira, mæror &c. si æger tristis & meticulosus fuerit, ejus cogitationes aliorsum dirigendæ sunt, omnisque cura

cura adhibenda, ut hilaris reddatur.

§. 1075. Hoc patet ex antedictis.

§. 1076. Causa proxima quidem est cerebri compressio seu affectio, ut in Apoplexia aliæ sunt causæ; quæ non desinunt, sed hic causa debet esse pro tempore abiens & rediens.

§. 1077. Nam hæc omnia tantum sunt species Epileptici insultus.



Melancholia.

§. 1078. Melancholia ab μέλαινα *nigra* & χολὴ *bilis* derivatur hinc μέλαινα χολὴ *bilis atra*, nam veteres statuebant, hunc morbum oriri ex bilis atræ fabricatione & prædominio, tunc operantis in machina ægrota. In hoc morbo æger diu & pertinaciter errat uni objecto affixus sine Febre: delirare enim est cogitare, pro ut causæ externæ requirunt, sed convenienter in iis quæ in omnibus convenienter latent e. g. nos omnes dum aperimus oculos, dicimus, nos omnes alios præsentes videre, sic si judicemus, sapere dicimus, sed in morbo, si à causa externa fiat idea hujus sodalitii alibi visi cum persuasione quasi adesset, sed externe non adsit, nec adesse dicimus, quando revera adsint, tum alii dicent nos delirare, hinc cognita est idea Delirii, alterum Delirium est in Melancholia, si illud Delirium sit sine Febre unique adherens objecto juxta sententiam veterum est Melancholia, v. g. si quis putet crus suum esse stramineum, & in reliquis juxta causas externas ratio-

tiocinatur, ille eſt Melancholicus, ſed ſi in omnibus ſit deſipiens, delirans, vel furibundus dicitur; hinc illi aegri non hodie ſic, & cras iterum alio modo delirant, ſed uni rei affixi manent & hac ratione multi ſunt Melancholici; nam qui deperdite amat, eſt Melancholicus, quique omni ſtudio ſe alicui rei, quaecunque ſit, ſoli applicant, ſed ſi Melancholia adſit, ſolet ſemper aliquid Delirii intercurrere.

§. 1079. Haec ſunt duo axiomata maxime notanda; ſi in aliquo bene ſano ſola ita mutatur conſtitutio ſanguinis, ut fiat atrabilarius, ei ſtatim ſit tale delirium, e. g. ſi quis aeſtate multum itineris faciat, ſitiat non habens potum, tum delirat dein, quaſi videret magnum ſpatium, hinc nil mutatum eſt in mente, tantum bilis atra Veteribus dicta in ſanguine facta eſt, unde delirium, ſi quis Mathematicus noctes atque dies cogitet de Quadratura Circuli aut de perpetuo Mobili inveniendo ſenſim delirat, verſatur ſolum circa hoc objectum, generabit bilem atram, nemo eſt tam fortis, quin ſi in uno objecto cogitatione ſemper haereat, in ſanguine generetur bilis atra, quam brevi ſequitur delirium, ſi quis nimium ſtudeat, ex delirio fit atra bilis, idque ſic reciproce. *Hippocrates* dicit, quod illi homines, qui in omnibus ſunt ſapientes, & in una re ſemper delirant, ſemper habeant atram bilem, & obſervarunt Veteres, quod ſi quis v. g. deperiret in puellam non cogitans niſi de puella, ille etiam hoc uno malo caeteris bene ſe habet. Hujus bilis atrae cauſa ex diverſis mundanis originem ſuam etiam trahere poteſt, quae pertinaciſſimas & triſtes cogitationes creant usque adeo ut mentis aequilibrium pro parte tollatur, ex qui-

bus pertinacissimis & tristissimis cogitationibus temporis tractu sequitur fuga spirituum cum humorum vappescentia & lentore, quæ causant obstructiones, ex quibus obstructionibus necessario sequi debet humorum stagnatio, & ex stagnatione putrefactio, ex putrefactione acredo, ex acredine inflammatio, ex inflammatione summus calor, ex calore præternaturali dissipatio, ex dissipatione liquidissimarum particularum incrassatio & sanguinis & bilis adustio, quæ ob obstructa hepatis fellea vasa à sanguine pro magna parte secerni & elaborari nequeut, sed ei admixta manent, & sic simul illum calorem atrabiliarium dictum efficiunt.

§. 1080. Ab optimis Auctoribus editi sunt libri contra bilem, etiam quasi essent veterum figmentum, vidi ea de re magnum librum viri docti, adverti eum adversariis quidem obstetisse, non vero omnes veteres Auctores de atra bile legisse: *Hippocrates* non dicebat bilem fieri atram, sed humorem, qui apparebat, dicebat atram bilem; lis tantum est de nomine, dixerim bilem non fieri atram, sed esse humorem terrestrem acrem, qui ita dicitur.

§. 1081. Succus melancholicus atrabiliarius idem est; materia in sanguine est sal, spiritus, oleum, aqua, terra, quo spiritus & aqua plus, eo magis dilutus est sanguis, quo sal, terra & oleum plus, eo magis est spissior, si prioribus expulsis manent posteriora, si saponacea fœx ex oleo, sale & terra simul sal & oleum subtilissima exhalatione & volatilissima, manet oleum, sal & terra maxime volatilia & terrea, si hæc tria constituant sanguinem, fit colore niger, sapore amarescens, aliquo modo consistentia semi-picea.

Mo-

Mobiliora dissipata; Hinc Hispani & Asiatici imprimis si paulo annosiores fiant, hoc morbo laborant.

Humoris atrabiliarii. Medici sunt, qui de hac re veterum vocem rident, dicentes ubinam est atra bilis? sed puto hic paululum voci esse parcendum, non tamen puto posse dici; Veteres hac voce uti non debebant, quia hæc materia atribilaria hæret circa hepar; sed dicetis, non tamen est bilis atra, hoc verum est, sed inde bilis secernitur, hinc non tam absurdum est.

§. 1082. Causa hujus morbi est omne, quod sanguinem spiritu & lympha privat, unde sal & oleum subtilissima exhalatione manet, vehemens mentis exercitatio est vehemens spirituum consumptio, uti & pervigilium & in unum objectum semper intenta mens sic Mathematici sunt atrabilarii, quia hoc studio spiritu & aqua exhauriuntur, & crassa retinentur.

Animi motus &c. Si legantur ridicula Romana, Hispanica, Persica melancholicorum inventa, post lectionem resurgens delassatus est, imprimis si sit objectum tristitiam excitans.

Hilaritatis &c. Hæc omnia dissipando spiritus agunt & expellunt.

Magni & operosi motus. Itali, Hispani, Persæ, Indi, Galli omnes fere melancholici sunt ob hanc causam.

Aëre calido. Sic enim Rex ex Gallia, cum ipse ex furore in hostem exercitum ducere vellet, & hinc de die semper in aëre calido & aestuante hæserat, simulque multos labores perfecetat, hinc vesperi melancholicus factus, putans omnes eum insequi, & quo morbo tamen con-

 silio

filio Medici fuit curatus, fed recidivam paffus unde mortuus eft.

Venus. Quae imprimis vigorem vitae nimis diffipat, & lenile corpus ante tempus facit.

Cibi aufteri &c Si torqueatur corpus cibis potibufque, tum fit atrabilaria indoles, fi carnes durae, pifces indurati, carnes fumo exficcatae Leporinae annofae edantur; hoc faepe accidit iis, qui ftudiis humanitatis alacriter funt dediti.

Fructus immaturi &c. Quia haec omnia fanguinem incraffant & liquidiffima diffipant.

Venena. Talia novi, quae fe fic infinuant fenfim intra corporis maffam & tum faciunt inextricabilem Melancholiam.

Febres calidæ &c. Hoc norunt hi, qui ab alio morbo non bene curati funt nempe per Corticem Peruvianum intempeftive affumptum; hinc hae febres femper degenerant in Melancholiam; *Helmontius*, *Sylvius*, & ex *Cartefianis* quidam malo confilio febres per Diaphoretica curant; fanguis exhauftus fit atrabilarius, hinc aegri fiunt atri, lividi, torpidi, Melancholici, fi refurgant.

§. 1083. *Calor externus &c.* Si caufae §. 1082. praegreffae fint, haec eft prima idea mali, fi color fubito nigrior magifque fufcus, de hoc objecto cogitetis, quod talis humorum difpofitio adfit.

Frigus. Hinc fanguis per lateralia minus fluit, unde illi aegri glandularum morbis laborant, glanduae & vafa minima afficiuntur, vafa arteriofa minima deftruuntur, fi magna, tum mors neceffario fequitur.

Qui

Qui his symptomatibus afficiuntur, & cito Medicum non advocant, brevi fiunt Melancholici, vidi in amicis, viris maxime studiis deditis, qui putabant fratres esse peccatores, quare soli secedebant, unde patet, quod illi jam aliquid Melancholiae contraxerint in uno objecto haerentes, in reliquis ἀδιάφοροι, quidam Amore flagrantes, Pietistae, Poëtae, Mathematici fiunt, nec quidquam curant ab his alienum, quasi nil aliud facerent ad beatitatem mentis; si tales effectus adsint, jam ulterius malum progressum est, ad alios motus sunt inepti, apti ad unum tantum, in una reliqua parte excellentes viri; hinc in aliis non possunt esse perfecti, ergo melius & salutarius est in variis scientiis quaedam noscere, quam unum aliquod eruditionis vel scientiae genus in summo gradu perspexisse.

Parcior. Hoc didici in omnibus fere obtinere, nunquam fere perspirant, non sudant, nisi parum admodum.

Mœstitia. Hoc in plerisque est verum, sed tamen mala est conceptio, quod non sint Melancholici homines, nisi semper sint mœsti.

Solitudinis. Si nempe se ab omnibus hominibus segregent & putant vel eos esse nimis stultos vel nimis peccantes.

Affectus. Si de negotiis eorum agatur, tum bene sapiunt, caeterum sunt indifferentes, nisi agatur de sua amasia, hinc *Aristoteles* dicit optimum & sapientissimum artificem esse Melancholicum.

§. 1084. Medici periti nunquam plus terrentur quam in consiliis apud Melancholicos in hoc primo gradu raro stultos, sed doctos aggreditur, at pertinacissimos.

§. 1085. Quomodo præsens jam noscatur morbus? 1. à functionibus læsis §. 1394. 2. caussis antegressis §. 1082. 4. qualitatibus corporeis mutatis, si quis in suo judicio demonstret nimiam propensionem in unam rem, & omnes alios ridet, illa est dispositio atrabilaria, si ex caussis enumeratis quædam sunt prægressæ, tum Medicus prudens sequenti modo curabit.

§. 1086. Hic morbus si huc usque se manifestat, ilico est curandus, antequam se deposuerit in aliquo corporis loco, vel in hepate vel liene &c. si enim ibi materia sit deposita, tum vix curari potest, si adhuc vagabunda sit, tum facile curatur, si sit in initio. Aurea est regula, nunquam Melancholico curando dices, quod laborent Melancholia, nec quod mœsti sint, neque quod se aliquando divertant, nam tum irascuntur & se stultis adscribi putant, se enim optime sapere credunt, & etiam de sua re optime sapiunt, hinc si Medicus dicat, ægrotas, tum huic Medico non habent fidem, sed si sint duo homines ratiocinantes inter se illo ægro præsente, tum ad ægrum advertere non debent, aliter erubescit, tum auscultat, & tandem etiam aliquid interrogat, hinc semper de re grata vel de ridiculis loqui debet Medicus; suadetur ipsis ægris oblectatio ruris, itinera, venatio, avertatur ab iis solitudo, & circa unum objectum attentio, amici debent hoc facere, hæc optime juvant, sic sub cura habui virum Eruditum, cui suasi ut legeret *Henricum ab Heers de Fontibus Spadanis*, tum postea ipse fassus est morbum descripsisse sibi similem, adeoque & dixi ego, & ille ipse consensus est, curam requiri eandem, quam suaserat *ab Heers*, abiit

abiit *Spadam*, carpenta vectus usus est aquis, & rediit sanus, denique eligenda sunt ea, quæ affectui sunt opposita; sic si quis & Persicis vel Hispanicis illis tristitiis fuerit Melancholicus, legat Comædias, Satyras, ut inducatur alius motus, quam qualem cogitare solebat; remedium optimum est in delirantibus, si fiant meticulosi, hinc si iracundi sint, tum metus est incutiendus.

Diluentia prosunt, quia hi ægri sunt valde sicci: *Hippocrates* jubet, ut tantum diluamus, non ut jam solent Medici incidentibus & attenuantibus tractari, hæc enim nimis movent, & liquida expellunt, & incrassant humores, sed danda sunt, quæ leniter partem movent & diluunt.

Demulcentibus. Ut acre illud terrestre tollatur.

Paregoricis. Ut spiritus in quietem reducantur.

Narcotis. Ob eandem jam causam.

Cibi leves. Fructus horæi, Olera matura & mollia sunt optima. *Horatius* hoc morbo maxime laboravit, uti notum est ex ejus scriptis, hinc juvant adeo illos ægros, ut summopere hos laudat his versiculis.

Impune me pascunt Olivæ
Me Cichorea, levesque Malvæ.

Hæc optime sine purgatione laxant & demulcent; *Hippocrates* dabat ptisanam ex Hordeo & pisces fluviatiles adhuc concedebat si morbus esset à causa acida acri; denique fructus horæi maxime inveniuntur in his locis, ubi hic morbus valde grassatur, ut in regionibus calidis.

Succi fructuum. Recentiores putant his medicamentis Melancholiam generari, sed videant Italos, Hispanos fere semper Melancholia laborantes, quem morbum praecavent horaeorum usu, nam si haec pro victu non adhibeant, tum statim fiunt Melancholici, inde vidi mirum & optimum successum; hoc ex *Hippocrate* primo intelligere non potui, sed tamen re explorata inveni, quod in hoc casu mulsam suadeat; hinc fructus maturi non nocent, si cum pane assumantur, non vero cum Vino vel Spiritu Vini, nam cum iis fermentescunt, sed sumatur tantum Vini, parum Cerevisiae tenuis, sic alvus semper fit laxa, hinc aestate semper tales maturos fructus assumi jubeo, sic viscera emolliuntur, bilis atra educitur, hac ratione in initio cura est instituenda, non si viscera modo sint labefactata, nam tum haec Hydropi materiam dant, juscula tenuia etiam optima sunt, aquae Minerales, Spadanae, Ferratae valde prosunt, mellita etiam valde juvant, nam Mel est Sapo inimitabilis, qui ultimam actionem vegetabilis perpessa est.

§. 1087. Totus sanguis in initio paulo crassior, hinc id, quod in cor recipitur & expellitur, hac lege circulationis maxime derivatur in caeliacis & mesentericis arteriis, & haec sunt vasa dicta hypochondriaca, si tum paulo ibi haeserit, tum sensim augetur, & anxietates sensim incipiunt, quia humores quoque ita circulare non possunt, sic si nimium edat homo, tum ob impletionem ventriculi, ibi sentit anxietatem, & tamdiu est Melancholicus, quod oritur ob sanguinis tarditatem, tum vere morbus dicitur Hypochondriacus; qui est congestio san-

sanguinis crassi, picei, terrestris, salini, oleosi in vasis abdominalibus viscerum chylopoeticorum; hinc intelligitur clare, quod morbus Hypochondriacus (non ut vulgo dicitur) fit, si quis stultescat, sed tantum, si sanguis atrabilarius incommodus jaceat in hypochondriis, Veteres ita dixerunt, sed quia hi aegri plerumque delirant, Itali ita vocant cum imaginatio semper sit laesa. Verbum Hypochondriacum derivatur ab ὑπὸ *sub* & χόνδρος *cartilago*, quasi sub cartilaginibus thoracis, in inferiori parte thoracis in superiori parte sanguine acri corrupta causam mali Hypochondriaci faciunt, & diaphragmati propius apposita & annexa in functione sua, respirationi dicata impeditum hunc morbum valde augent: Veteres enim lienosum vitium appellare solent, nam atra bilis naturaliter nunquam datur, sed quoniam lienosus sanguis facillime obscuratur, & tandem nigrescit ideo praesupposuerunt, quod atra bilis sit officina, & quoniam exinde atrabilarii effectus plerique oriuntur & subsistunt, ideo huic parti dederunt illud nomen.

§. 1088. Hypochondriaci maxime semper sunt anhelantes pomeridiano tempore, quia viscera obsita peccant in suis functionibus, si vegetabilia assumpserint, eructant acidum, si lardum comederunt, ructus fiunt nidorosi, & sputa in ignem injecta flammam excitant, hoc tantum fit, quia succus gastricus, pancreaticus bilis &c. non bene digerunt cibos, si hordeum coctum in farcimine edat in prandio hora quinta post meridiem ardore stomachi laborat, unde eructat acidum, idem si altero die lardum edat, eructabit nidorosum acre putridum, hoc tantum fit ob bilis inertiam & paucitatem, quia

circulatio tum est minor, hinc assumpta semper in suam indolem abeunt, si hæc omnia fiant, tum morbus jam adolevit, & pro vera Melancholia haberi potest.

§ 1089. Ubi eo usque provexit malum, nec caute, nec cito prævenitur fere incurabilis & lethalis sors est eruditorum & sapientissimorum in studiis vel plurimis negotiis occupatissimorum, hinc *Sydenhamus* dicit, licet causam ignorarit, quod nunquam purgans vel vomitorium sit dandum, quia tum pejus se habent, & liquidissimum modo expellitur, hi ægri tamen semper purgare & vomere volunt, quia si alvum leniter sponte deposuerint, tum juvantur, sed purgantia iis mala sunt, nam sic redduntur incurabiles, nam picea materia non purgando solvitur, sed magis intricatur, nam morbus vel materia in arteriis hæret. Si detur vomitorium, quod Spasmodico motu convellit, forte eo motu solvetur obstructum: at quo ruet? non in arterias, quia rumperentur, hoc ergo in hepar vel venas, quo horum viscerum vasa pergunt, sed hepatis substantia est friabilissima, & mollissima, vi rumpit vascula & destruit, aut regreditur per venam Cavam, & producit terribilia symptomata, sic vidi in Hypochondriaco dira symptomata, deliria, febres &c. At non semper per hepar tam bene evacuatur materia, sed sæpe insinuatur, unde ad cerebrum ruit, inde fere est lethalis. Chemico hic laudata stimulantia sunt omnes spiritus, oleum & Sal Volatile v. g. Spiritus Cochleariæ, Tincturæ Antimelancholicæ.

§. 1090. Sic concipe te habere vestem ex tenui serico, si huic picea materia adhæreat, tum solvi

solvi non potest deradendo cum cultro vel alio instrumento nisi cum ovi vitello &c. sic in hoc corpore hæc pix hæret, & fibræ serico sunt multo tenuiores, si acidum v. g. prædominetur, tum aliquid est dandum, quod acido oppositum sit, sed tamen cum eo non effervescat, hinc soleo dare Saponem Venetum in pilulas & Sal Absynthii vel similia; si alcali prædominetur, tum sumo Mel cum Sale Polychresto & sero Lactis, donec levis Diarrhæa subsequatur, & materia liquefieri incipiat, si rancidum, tum modo tanto plus acidi addo, si putredo adsit, halitus fætidus ex ore hoc designat; tum dabo tale remedium v. g.

℞. Aq. Hordei ℥vij
Sal. Polychrest. ʒj
Oxymel. Scillit. ℥ij
M.

Assumat æger de hoc medicamento quavis hora unciam semis, hoc remedio novi demulcere acrimoniam ratione salis movere, Mellis abstergere, & aquæ diluere; hisce similibusve, si æger per duos tresve menses usus sit (nam cura cito non procedit) tum multo melius se habebit, tunc determinabo materiam, ne ruat ad caput, unde furor vel mania sæpe tota vita manet.

Signa. Hoc ante paucos annos à viro didici, nam hoc semper observatur, quod si morbus eo sit redactus, ut materia moveatur, tum pulsus intermittit, quod nil mali tum denotat, sed fit, quia hoc alienum circulationem turbat; cæterum quando ægri male se habent, non febricitant &c.

2. Tum viæ ſunt lubricandæ & diluendæ, hinc purgans lene eſt præſcribendum ex Manna, Caſſia, ſyrupo Cichorei cum Rheo, Roſarum pallidarum, vel cum Senna, & nil fere aliud dare licet, vel detur ſequens v. g.

℞. Tamarindi Decoct. ℥xij
Sal. Polychreſt. ʒj
Seri Lactis ʒj
Sacchari ʒjß
M.

Hac ratione viæ laxantur, ſed non purgantur, quod determinare non poſſum, ſenſim educere debeo, quo faciunt aquæ Minerales, imprimis clyſmata (nam ibi erit materia picea, atra, fæculenta) poſt ſex horas iterum injiciendo aquas Minerales magna copia ad libras ſex, hinc hac ratione expurgo, diluo, & materium mobilem reddo; hæc eſt optima methodus, unum habet incommodi, quod tam parum educat & promoveat, unde ægri medicorum oſores fiunt dicendo nil proficere eos, tunc paulo magis urgendum, interim eodem modo pergendum, & in eodem fundamento perſiſtendum.

§. 1091. Si materia nata depoſita in hypochondria fixata compingatur, tum liquido expulſo diutius hærens fiet immobilior, humor acris eſt de indole noſtrorum humorum, ut ſtagnantes diu putreſcant, unde tenerrima vaſa exeduntur, corrumpuntur & deſtruuntur.

Aggeritur. Quia cauſa, quæ primo morbum fecerat, nondum abeſt.

Vaſa. Si videantur in his *Ruyſchiana* præparata in exenteratis viſceribus, hepate, liene &c. tum

tum patet capillos ratione horum vasorum esse multo crassiores, hæc vero hic sunt infarcta & materia acri rodente impleta, hinc patet quare sit periculnm destructionis horum vasorum.

Vapore. Utpote id, quod subtilissimum in toto corpore abit in venas, imprimis in cavum & hinc in cor, & tum sanguis à tenui hac acredine turbatur, unde Romanus Auctor dicit, quorum cerebrum atra bilis infestat, hæc differt gradu ab humore Melancholico, nam ille est, si partes dispergi incipiant; morbus vero Hypochondriacus dicebatur, si circa hæc vasa morbus hæreret inciperet, eaque obsideret, sed atra bilis, si omnia inquinaret & corrumperet omnia vascula, quæ modo occupat; atra bilis vero ut plurimum in regionibus calidissimis obtinet, hinc *Hippocrates* tam multa de illa habet, quæ optime à *Dureto* commentata sunt.

§. 1092. Signa priorum duarum specierum præcessisse & signa atra bilis adesse debent. Ex centum vix unum Medicum vidi, qui hunc morbum bene norit & curavit, hinc in his tam sollicitus sum & tam multa dico.

Educi. Hic prudentia opus est, nam si haberetis canalem, qui non capacior ac capillus capitis est, & si in ea pix hæreat, & purgare velles, quam tarde & sollicite movere deberes, sic & hic; nam in vasis extensis jam labefactatis materia compacta, parte liquidissima, putrescens, acerrima, hæret; si moveatur, viscera abdominalia corrupta rumpuntur; hinc medicamentis validis non tentanda, plus enim nocent quam credi possit, & nunquam adhiberi debent ob hanc causam, nec tum relinquendi ægri, sed præscribendus victus Acri-

moniæ oppositus, si alcali peccet, acida dentur; sic in quodam simili *Hippocrates* dabat Acetum; sed si acidum peccet, alcalia præscribenda sunt.

Facile excitandum. Si v. g. pugnum meum habeam spinis plenum, & non comprimam, sed molliter teneam, tum inde nil mali fit, sed si comprimam, dolores ingentes hic producit, sic & hic.

Victus. Si nempe bilis sit atra acida, tum non concederem, ut Vinum, Lac, panem neque ullum acescens gustaret, sed modo jus carnium cum vitello ovorum & piscibus fluviatilibus assatis & coctis &c. sic si alcali prædominaretur, hæc ultima prohiberem, & prius dicta suaderem, si rancidum oleosum peccaret, tum nil darem nisi succos Horæos expressos, ex Endivia, Cichoreo & similibus herbis papposis, & lactescentibus sed forsan quis rogat, an sic vivere possint? ad hoc est respondendum eos sic debere, aliter semper malum servant & per totam vitam fatui manent; hæ sunt omnes Acrimoniæ, quas cognosco, & contra has semper opposita sunt danda, sic ægro multum commodi hic adfert; quod cibus, qui in Acrimonia alcalina assumitur, laxat, nam tum do Mel cum Saccharo, & si rancidum, tum sumo Mel cum Succo Horæo; quæ omnia materiam piceam simul solvunt.

Motus corporis. Motus sit moderatus, nam vidi ægros mortuos, qui per inferiora & superiora dejiciebant materiam piceam, tamen motus levis adesse debet.

Balnea sunt optima, quibus singularis Acrimonia est corrigenda, hac ratione curatur atra bilis, quam vix nullus Auctor notat, sed cogita-

gitationem mihi suggessit Medicus Italus, qui vix lecto *Hippocrate* illud in cadaveribus & morbis observaverat; sed *Hippocrates* hoc egregie habuit.

Solvendo. Si nempe acida sit Acrimonia, tum sumi potest Asa Fætida, Opopanax, Olibanum, & similia Gummata, hæc leniter solvunt & stimulant; si vero ex alcali laborent, tum do Rob Sambuci & similia, uti & Aquas Spadanas, sub hac vero conditione, ut tum cælum sit siccum, serenum, calidumque, tum mane jejune ventriculo hæ aquæ sunt sumendæ tunc temporis, si morbus signa motus dederit, tum hæ aquæ pulcherrime prosunt. Via à natura præmonstrata; ponite ægrum atra bile randica laborare, & tum alium obstipari, tum fumo ex Melle, Saccharo & Succo Horæorum clysma, quod post alvum depositam injicio, & tum hoc clysma laxat & attrahit.

§. 1093. Hæc omnia ex *Hippocrate* quasi in compendium collegi, & hic vobis recensui omnes causas, à quibus bilis atra movetur, à causis vero quibus movetur, etiam acrior redditur, nam qui per annum hanc materiam quiescentem habuerunt, nil mali odoris hinc sentiunt, sed si incipiat moveri, & aër accedat, tum fætor horrendissimus oritur, ut si nasutus in eodem cubiculo sit, tum illum ferre nequeat, hinc æger hoc tempore tam male se habet. Vidi à valido motu in viro Amplissimo atram bilem undique inquinatissimam; uti in viro, qui Lugduno Hagamiens valde se movit, unde pessime se habens deliravit, ita ut coactus fuerit sub arbore sedere, ibi per superiora & inferiora materiam piceam, nigram, amaram rejecit, sed pomo acido assumpto malum mitiga-

tum eſt; novi qui poſt curſum & itinera talia evomuerunt, hinc bilis atra turgens mota eſt à vitio acri, Aceto, Pipere, Zingibere, vidi ægros in tale malum incidentes ab effervescentibus cum Acrimonia; hoc vidi in exemplo, vir ſtudiis deditus laborabat bile atra peſſima, valde movebatur, unde vomuit bilem, & natura ſiſti non poterat, dabam parum limaturæ ferri cum Saccharo, hinc oriebatur effervescentia, ægro inflato quaſi à toxico hoc maxime diluebam, hinc non directe oppoſita ſunt danda, ut enim in vaſe hermetice ſigillato metallum ſolvitur ab acido, tanta fit rarefactio, ut disſiliat, ſimile in his hominibus accidit, tum & acris & mobilis redditur, eſtque ut culter in vagina, qui non niſi exvaginatus lædit.

Turgens bilis. Vidi matronam jam provectæ ætatis, quæ ſe quam commodisſime habebat, ſed paulo poſt variæ ortæ ſunt mutationes, pulſus erat intermittentiſſimus & ægra vomebat dein materiam nigerrimam, quæ in pelvi effervescendo quaſi turgebat, hinc *Hippocrates* dicit materiam non moveri debere niſi turgeat.

Polypos. Acidum ut ſæpe eſt ſanguini permiſtum, quod facit idem ut oleum Vitrioli venæ immiſſum, quem morbum optime deſcripſit *Malpighius* & dicit, idem eſt ac ſi materia coagulans in venas injecta ſit. Alcali etiam producit atrabilaria mala, quæ *Boyleus* annotavit.

Immedicabilis; Illis Melancholicis, qui ſine febre furunt, atra bilis in ſanguinem abiit.

Profert. Viſcera putrefacta peſſima mala producunt.

Gan-

Gangræna. Quia si materia atræ bilis in locum pergit, hunc locum, quem occupat, sæpe in fecit.

Exstincto. Sic pro varia natura innumeros morbos facit, quod verbo dixisse sufficiat, sic autem innumeri apud Auctores describuntur casus, ubi incidebant in tumores maximos abdominis, tum ad lancem non ponderosiores, phænomena hæc oriebantur, tum post mortem in cadavere aperto reperta est aqua & acris putridus humor, qui totum abdomen occupabat.

Tympanitis. Hæc species hic oritur, quia putrefactæ partes cadunt in abdomen, hinc *Boyleus* dicit, quod vapor humanus se mire expandit, & sic totum abdomen inflat, *Hippocrates* vocat hunc mordum Hydropem siccum.

Si autem &c. Triplex ejus est abitus vel per vasa venosa in sanguinem vel per vasa corrupta in abdomen (hæc duo priora) vel in vasa biliosa hepatis, unde Diarrhæa atrabilaria pessima, hinc nigra, cadaverosa fæx deorsum ejicitur, sæpe etiam sursum, hæc symptomata non desinunt, priusquam mors sit propinqua, nam tum nil dolet, & sic moriuntur illi ægri, quia partes gangrænosæ sunt factæ, ut dicit *Hippocrates*.

§. 1094. Triplicem agnosco bilem atram, omnes habent materiam tenacem, sed triplex determinat, 1. acidum, quod vomitu rejectum in terra fermentat, ut dicit *Hippocrates*, quod ego ipse vidi erosisse argentum; cuprum etiam rodit haud lentius, quam si ab Aqua Forti vel oleo Vitrioli eroderetur, unde fauces erodebat, & dentes stupefaciebat; hæc in Græcia est frequens, ubi vinum nigrum acidum bibitur,

tur. 2. Cadaverofum fœtens, ubicunque tranfit, omnia in Gangrænam corrumpit. 3. Oleofum putrefactum, quo nil pejus, nam oleum vel lardum putrefactum exfuperat omnia, alcali putrefcens elui poteft, pingue putrefcens vix, hæc quomodo curentur, dictum eft. Si afpergam nudæ cuti acria fortiffima ficca v. g. Cantharides, hæc nil agunt, fed decidunt, nifi tenax materia admifceatur, fic & hic tenax picea materia mifta huic acri, hinc dilui nequit, ergo eft peffima.

§. 1095. *Humor* tum eft tam acris, ut fi purgare velis per oppofita, tum effervefcit, & vafa deftruit, fi vero hanc materiam per alvum purgare velimus, tum fit ruptura vaforum; hinc *Hippocrates* dicit, fi urgeat atra bilis, eft morbus incurabilis, nam non prius quam vifceribus jam corruptis fe manifeftat.

Diluentia vero vix juvant, licet fit unicum medicamentum, quod hic aliquid efficere poteft, nempe magna copia aquæ & mellis cum pauco fale, quod eft optimum contra putredinem, fi nimis motus adfit, tum paululum Opii eft dandum v. g. fyrupus Diacodii vel Papaveris &c.

§. 1096. *Saluberrimum.* Nam homo, qui vitam actuofam fcribendo degit v. g. per quatuordecim dies, ibi ille vafa comprimit, & fit Melancholicus feu Hypochondriacus, hinc in primo gradu vel fecundo bene curatur, fed ultra vix eft morbus incurabilis.

§. 1097. Hæc omnia hic fpecie recapitulationis dicuntur.

1. *Peturbant*, Quia tum in his partibus fit infuetus motus.

2. Omnis Hypochondriacus fi non bene curetur

retur, fit atræ bili obnoxius, hinc non curatur, ideo hi homines non funt ridendi, nam idem eft, ac fi nos vellemus malam idæam habere vel nobis imprimere, fic & hi hanc idæam vivacem, licet fit falfa, habent, ut æque ac nos ratione convinci non poffint.

Umbrofus. Omnia hic uno verbo enumeravi, quæ in fanguine ex chyli refectione, per unum vas circulatione, per varia vafa fecretione, ac excretione atram bilem creant.

§. 1098. Finis omnis Melancholiæ eft fere dementia vel innocentia (Belgice *onnofelheyd*) feu fimplex defipientia, non malus furor, fed quafi ingenio perdito repuerafcunt, unde aliquando Epilepfiam & Anxietatem producit, atra bilis prout fertur in hæc vel illa vifcera, creat varia mala, femper fere triftitiam, fæpe etiam nimiam hilaritatem; uti & cæcitatem, fi nempe atra bilis ipfum cerebrum afficiat; hic morbus etiam ructum creat, quia Hypochondria funt obfeffa.

Urinam craffam. Omnibus Melancholicis certiffimum fymptoma eft urina limpidiffima quafi aqua fontana fine fedimento colore vel pigmento, fed fi urina fit craffa, ftatim melius fe habent ægri; quod *Sydenhamus* habet pro figno Pathognomico.

Alvum. Nam fæpe intra menfem alvum non deponunt, & quæ deponunt, funt valde ficca, dura & nigra.

Sputationem; inferioribus enim obftructis materia tenuis falivofa non ibi tranfiens ad fuperiora fertur unde hi ægri fputatores apud *Ariftotelem* & *Hippocratem* dicuntur.

Inedia. Nam novi talem ægrum, qui volens imitari jejunia Chrifti per quadraginta dies nil edit, & nil nifi tenuem cerevifiam cum Tabaco haufit,

fed

ſed tamen quoad ſuum morbum pejus ſe habuit; nam hanc inſiſtens viam humores ſui corporis jam acres factos non diluebat, novi & blandi chyli allatione, nec demulcebat, quin potius horum acrimoniam magis augebat.

Frigoris. Nam vix ſentiunt, vidi hos ægros jacentes nudos in pavimento atrociſſima illa Hyeme anno ſcilicet nono hujus ſæculi, & per lapidea ſtrata nudis pedibus cucurriſſe.

§. 1099. Materia ſæpe ſoluta ad cutim veniens penetrare nequit, unde producit Scabiem aliquando fere Elephantiaſin, id eſt, adipoſa cutis in craſſam turboſam cruſtam abit, 1. humidam, & cutim puſtulis hinc illinc fœdatam obſervamus, 2. ſiccam Græcorum ſquammis ſiccis abeuntibus. 3. Lepram Arabum, ubi in ulceroſam cruſtam abeunt glandulæ. 4. Elephantiaſim in adipe peſſimam, ubi ardeſcentes cruſtæ relinquunt foveas maxime deformes; hinc curatur ſæpe hic morbus, quatenus materia atræ bilis ratione benignitatis mota vi vitæ & ratione vaſorum cutaneorum, tum materia ibi pungit, rodit & corrumpit hæc vaſcula, & ſic ex corpore expellitur.

Rejectio. Verum hoc ſummo fit periculo.

§. 1100. *Sydenhamus* optime hoc annotavit, & ſæpius obſervavi, quod evacuationes, & purgationes præſcriptæ nil juvarint, hæc vero medicamenta in Phrenitide & Mania valent, ſed hoc in caſu non, quia hoc remedio ſanguis liquidiſſimis orbatur particulis.

Exagitant. Sive ſint Cardiaca, ſive alio ſub titulo exhibita; hæc ſemper ſunt mala, hic in hac ſententia nullum inveni Medicum mecum ſtantem, ſic videtur quaſi ego ſolus hanc ſententiam haberem. Alii enim fere ſemper volunt venam ſecare & purgare, ſed male, nam videbis, quod omnes hi, qui in publi-

blicis ædibus horum hominum aſſervantur, ſeu fuerunt. Melancholi & non à nativitate ſtulti; his omnibus vena fuit ſecata & purgatio inſtituta; hinc in hac parte ſolus ſto, nam nunquam vidi Melancholicum, in quo ſanguis plethoricus & præterea materia picea non hæret in ſanguine quem educis, ut vulgo fit per radicem Jalappæ, ſed hic *Hippocratem* advocant dicentes Helleborum commendare, ſed tum prius vias lubricavit & adaptavit, quod ipſe quoque Helleborus facit, ſed ego ſub aliis conditionibus non darem; niſi quod ſi aliquando ita furant, tum darem, ut impetrem inducias vel venam ſecarem, ut caverem, ne me lædant, aliter non; alii ſunt Auctores, qui Salia Volatilia dare voluerunt, ſed peſſime, nam furores incitant.

§. 1101. Nititur hinc medicina quatuor modis, quæ ſequuntur; primo diſcere debemus objectum delirii, & tum curare ut objecta fiant contraria, idque quaſi ~~cauſa~~ & forte fortuna, ſic nonnulli ſunt, qui mettuunt; hi exhilarandi ſunt; alii ſunt impavidi, heroibus his terrores paululum injicere debemus.

§. 1102. γ. Sæpe hoc multum juvat, nimirum videmus ſapientiſſimos credere ſe non habere crus, jurant, ut ipſe vidi, dejurant per Sacramenta, quo magis repugnas & rides eos, eo magis ideam figis, quo plus reſiſtis, eo magis credunt contrarium Medicum obloquentem non ferunt, hinc aſſentiendum iis, fingendum quaſi & cum iis deliremus; ſi hoc faciamus, tum omnia quæcunque volumus, ab ipſis impetrare poſſumus, ſed tum hoc incommodi inde habemus, quod ſemper noſtrum conſortium petant e. g. quis putat ſe habere pedes ſtramineos, ſi tum velles cum illo ægro ratiocinari & dicere, nonne vides te habere oſſa

mu-

musculos &c. tum irascitur, si vero dicas, mirum est, quod nemo præter te & me hoc videat, caveas, ne incedas, rumpes pedes &c. sed hic cavendum ne te non ex animi sententia loqui subolfaciat.

δ. Sæpe objurgando & acriter aliter instruendo quasi convincendo superatur morbus, vide *Michaëlem Montagne in Opusculis suis* belgice *Conscriptis les Essais*, ubi in capite de imaginatione sic sæpe adjutos vidimus. Tali modo Empyricus tot homines hic in Hollandia curavit, illeque considerabat homines, quasi haberent ferinam bestiarum naturam, hinc quoque illos eodem modo coërcuit, nam si homines primo ad illum adducantur, tum omnia concedit, verum si delirare incipiant, tum auxiliatores vocat, & tum hi ipsum tamdiu fustibus & loris verberant, donec delirium desinat, & tum iterum, omnia, quæ æger desiderat, ipsi concedit, sed quam primum iterum delirat, tum iterum sic tractatur, & sic tandem hoc metu præ fustibus sæpe curatur, verum hoc mentem quidem curat, sed morbum non tollit.

§. 1103. 2. In his medicamentis tamdiu persistendum, donec materia eliquetur, moveatur & vasa laxentur, si vero materia moveri incipiat, tum illa est determinanda, vide quæ de morbo Hypochondriaco dicta sunt, aquæ Minerales, Sales, Emplastra &c. multum prosunt, & sæpius hic est mutandum, quia morbus & cura est diuturna, & si jam pertæsi sint, alia danda, tamen manebimus in eadem indicatione si v. g. acidum peccat.

℞. Gum

℞. Gummi Galban. ʒj
Caſtorei
Aloës ana gr. iij
M. F. Pilulæ.

In his quaſi alcali acre prædominatur, ſi horum æger pertæſus ſit, tum per quatuor vel quinque dies detur Elixir ex alcalibus de die ad guttas viginti vel viginti quatuor, ſi de his pertæſus, tum detur ſequens mixtura v. g.

℞. Aq. Hyſſopi
—— Menthæ ana ℥ij
Sal. Tartari ʒj
Syrup. quinque Rad.
Aperient. ℥j
M. F. Mixtura.

Unde propinetur ægro cochleare quater vel quinquies de die, ſi hujus pertæſus, detur Sal Cardui Benedicti in Vino cochleatim, ſi & horum pertæſus Lychnis ſaponacea major coquatur & cum melle edulcoretur, tum quavis hora vel bihorio bibatur aliquamdiu hujus decocti, hic eadem indicatio pro habitu medicamentorum mutatur, ſed hic eo pergetur, donec naturam moveri ex pulſu doceamur. Aquæ minerales nempe Granenſes ſunt optimæ, & in uſum ſunt revocandæ, menſe Martio, menſe vero Junio Julio, Auguſto aquæ Spadanæ vel ſerum Lactis &c. cum herbis aperientibus & ſolventibus vi ſaponacea, & hæc tamdiu adhibenda, donec Diarrhæa ſequatur; ſic ſæpe pauperes ſolo ſero Lactis cum Melle curavi; verum in his licet Diarrhæa adſit continuandum, donec gracileſcant.

§. 1103.

§. 1104. 3. Si fummopere delirent, licet aliter noceat inftituatur Venæ fectio, ne gravius fiat malum; fummum etiam eft remedium, fi ægri in fcapham deducti fubito in aquam præcipitentur, ipfis infciis, quibus remediis in Anglia multos ægros curatos fuiffe obfervatum, vel ipfis infciis aliquot fcitulæ aquæ frigidæ in caput injiciantur; hinc fummus terror fæpe ita turbat, ut defipientia abeat; tunc etiam Carminantia profunt; Opium in Melancholia peffimum eft, nam dum fomnum concilio, maxime augetur Melancholia, ipfe vidi *Amftelodami* in muliere dato Opio ad grana duodecim una dofi nullum effectum nifi majorem furorem; hoc Indi norunt, quos Opium furentiffimos & defipientiffimos reddit.

§. 1105. 4. Morbo definente collabuntur, & quafi defipiunt fine corporis & animi robore, id fi Medicus viderit 1. materiam eliquatam, 2. motam, 3. determinatam, 4. exactam, vafa dilutione & exanitione materiæ flaccida funt, hinc robur requiritur, nempe vinum Chalybeatum & cortex Peruvianus, quæ optima funt in his cafibus medicamenta.

§. 1106. Melancholicorum puto jam defipientium fi ulla curatio, hæc eft; hanc femper fpondeo, fi amicorum conftantia, ægrorum obedientia & medicorum induftriæ adfint; hinc qui jam ad carceres damnantur, fæpe curari poffunt, fed maxime tædiofum eft Medico, ut ipfe fum expertus, nam vix ægri reperiuntur, qui peragant; ut juffimus, alcalina Melancholiam ftatim curabunt vel necabunt, nam diu agere non poffunt, acida lentiora funt, hinc lenta curatio eft tutior; fi dementia non à cerebro vel cranio fed ab atra bile tum curari poteft, fed fi ægri

ægri recludantur, tum civiliter mortui habentur; nec unquam curantur; ex his apparet, quod multi morbi pendeant à lienis & pancreatis obstructione, hinc morbi lienosi & hepatici fiunt teterrimi, & omnia viscera Chylopoetica hoc malo affici possunt.

Mania.

§. 1107. Maniæ vox derivatur ἀπὸ τȣ̃ μαίνεσθαι id est, *furere*, *insanire*, hocque laborantes affectu μαινόμενοι, *Maniaci*, *Furibundi*, *Insani* appellantur: sumitur etiam Maniæ vocabulum pro quocunque delirio sive id Maniacum, sive Melancholicum fuerit; Mania ergo est *delirium in unum objectum fixum sine febre, una cum furore sævo & nonnunquam dolore. Furor est ea dispositio, quæ vel sibi vel aliis maxime nocet*, & sæpe furor est talis, ut non patiatur se coërceri, nam in præsentes insurgunt, & habent animum sibi vel aliis nocendi; hinc distinguitur à Phrenitide, nisi quod sine febre sit, ubi è contra in Phrenitide adsit febris perpetua; præterea ex data definitione distinguitur à Melancholico affectu, utriusque enim causæ, non duntaxat vehementia, verum etiam tota natura & specie discernuntur, observatum enim plusquam semel est, eam ortam esse absque ulla Melancholia præcedente, quantumvis magnam non diffiteor affinitatem esse inter hosce duos morbos, nam Maniaci cogitationibus quidem, verbis & operibus melancholicorum uno eidemque objecto affixi deliramenta imitantur, sed procul omni

timore & metu, imo accensa quadam excandescentia, cum tanta animi audacia, perturbatione, & ferocitate nulli brutorum æquiparanda, eo evectus, ut omnia præter rationem agendo obvios quosque invadant, neque sibi ipsis parcant humanis moribus exutis, ferinos amplectuntur. Quis quæso hisce refragabitur? qui viderit eos proprias suas vestes dilacerare, se ipsos vulnerare & (nisi probe custodiantur) vincula, quibus constringuntur, rumpere, repagula firmissima amoliri, ipsos imo carceres effringere, & alia plurima indomabili suo furore perpetrare, addam (quod hic *Lugduni Batavorum in Nosocomio publico* vidi) Maniacam sese propriis suis recrementis alvinis conspurcasse, in iis sese volutasse, ipsaque ore suo devorasse: res non sine horrore est! horum autem nihil de Melancholicis effari licet, utpote timentibus, mæstis, solitudinem amantibus &c.

§. 1108 Hinc gradu differt à priori morbo; plerumque oritur ex Melancholia tristi, qua quamdiu affecti fuerunt, plerumque furibundi fiunt. Puto omnes hos ægros curari posse, nisi morbus à nativitate oriatur, si modo Medicus cautus sit, & medicamenta tuta adhibeat, tum tota materia liquefacta extra corpus est ducenda, ratio, cur hoc credam, est; quia habui discipulum Medicum, qui per duos annos vinculis fuit coërcitus, amici eum in publicum locum intrudere volebant, sed dissuasi & jussi ipsi nil dare nisi serum Lactis, aquam, fructus Heræos, & cum in his fere per annum continuavit, tum fervente æstate nuncium accepi, dicens eum fere moriturum, hinc nuncium examinans, quid ei sit, ille dixit eum jam reddidisse situlam plenam materiæ nigræ, eum

eum jacere in terra & jam quodammodo compos mentis factum, hinc scripsi ad Medicum meum amicum, qui ei præerat (nam *Hagæ Comitis* hæc res accidit) ut ipsi daret aquam cum pane & pauco vino ad roborandum & sic ille sanatus & compos mentis factus est; hinc nunquam desperavi, sed annus quidem requiritur, sed quid non faciendum si agatur de vita humana, nam tali homini melius esset mori quam vivere; hic tantum est magnum incommodum, cum amici mox ad hunc mox ad illum medicamentum confugiunt, cum vix unus est, qui bene tractet hos morbos, & si quis forsan bene tractet, tum alio advocato iterum res corrumpitur, & hac ratione tot novæ curationes instituuntur pessimo cum successu. Ex quibus patet, quam sollicite nobis sint inculcanda signa, ex quibus scire possimus morbum futurum, ut his perspectis præveniamus, non præveniamur ab illo, ita ut mihi liceat cum *Poëta* canere,

Principiis obsta; sero medicina paratur,
Dum mala per longas invaluere moras.

§. 1109. Signa quædam præter hæc sunt, quæ proxime jam imminentem demonstrant affectum, v. g. vigiliæ contumaces, somni levissimi & brevissimi, insomnia turbulenta, curæ & sollicitudines animi molestæ, præceps & frequens iracundia absque data occasione, solitudinis amor, aliorum contemptus, suarum opinionum tenacitas, insueta Hæmorrhoïdum in viris & fæminis suppressio, oculi cavi & fixi, proclivitas ad Venerem major solito, pollutio nocturna frequens, risus & fletus præ-

ter consuetudinem, & rationem, loquacitas fere assidua, taciturnitas meditabunda; ex hisce ipsa morbi hujus Diagnosis sponte fluit; quid enim facilius est, quam, ubi delirium in unum tantummodo objectum fixum est, febre absente, una cum furore, dicere, Maniam esse præsentem, furor autem quam evidentissime cognoscitur, cum non sit, nisi illa Physica mentis conditio, qua vel sibi vel aliis noceat, vel nocere studeat; si nunc simul advertatur pertinacissimum illud pervigilium (ita ut vidi Maniacum quendam quatuordecim menses duxisse insomnes) simul inusitatum atque immensum robur musculorum, nam vidi talem hominem, qui trabem magnam mobilem fecit, sic sunt, qui jejunium Christi imitari volentes; fiunt Lycanthropiæ, hoc est cum ægri putant se converti in lupos, & se in sylvis abscondunt, & innocentes se occidisse aliquem, scriptor candidus scribit se vidisse ægros summe Melancholicos tale sibi imaginatos lintea discerpsisse; fiunt etiam Cynanthropiæ, id est, hi canes imitantur & putant se in canes esse conversos.

§. 1110. Omnia semper sic sunt inventa, ut observatores affirmant.

§. 1111. Hi ægri vix spuunt, vel alvum deponunt, & raro mingunt, & his parva liquidorum jactura fit; hinc magna constantia. Quod ad Prognosin attinet, neminem latere arbitror Maniam morbum esse curatu difficillimum, ne dicam penitus insanabilem, imprimis, si malum jam confirmatum & inveteratum fuerit, sic ut liceat de eo effari; quod olim *Poëtarum Princeps* cecinit de Podagra, hoc sensu.

Tollere firmatam nescit medicina Maniam
Aut si sit, longa est attenuanda mora.

De quo ea nihil omnino boni prædicere quisquam audeat: accedit, quod in usurpandis secundum rationis dictamen præscriptis medicamentis, ægri Medico suo non obtemperent, quum nec in ipso furore persuaderi sibi minime patiantur, ut congrua sibi admittant remedia, cæteroquin desipientiæ juxta *Hippocratem*, quæ cum risu fiunt, minus periculosæ sunt iis, quam quæ graves & seriæ cum studio adhibito contingunt, eoque periculosiores sunt, quo major occurrit Temeritas, Desipientiæ, quæ circa necessaria fiunt pessimæ, & quæ ex his ingravescunt, exitium portendunt: quantumvis obstupescenda sit horum ægrorum inediæ tolerantia, interim omne oblatum respuentes tandem aliquando deficient; neque etiam sedatio delirii per somnum exspectari potest secundum *Hippocratem*, quum perpetuæ miseros extorqueant vigiliæ, quæ secundum eundem Auctorem ejusdem mali prorsus sunt omina; dicit enim somnus, vigilia, utraque modum excedentia malum, ne tamen omni prorsus cautela objecta deplorandos horum status derelinquamus, vetat animi Religio & multifaria ferocissimorum Maniacorum; jam per multos annos vinculis constrictorum, iterumque restitutorum, exemplo reclamant: hoc solum exceperim, ubi jam à nativitate malum illud vel hæreditarium vel congenitum, vel à cerebri mala conformatione oriundum, ipsos divexavit; de cæteris experientia nimis plausibiliter, quam ut de hujus morbi sanatione desperari

 pos-

possit, triumphavit, quamquam extremæ artis opus sit hunc morbum tractare cum prospero eventu, interim procul omni jactantia spondere auderem hujus morbi curationem quamvis diuturnam & Medico & ægro fastidiosam, dummodo amicorum constantia, ægrorum obedientia & Medici industria non defuerint, non absolvitur hæc cura intra mensem, semiannum, sex menses integros, sed spatium sæpe triennii requiritur (nisi fuerit recens seu levior quædam Maniæ species) hinc potius præstat huic occurrere morbo in primo initio, ne altis jam radicibus actis, omnem omnino curandi methodum renuat, juxta prudens *Poëtæ* effatum.

Helleborum, frustra, cum jam cutis ægra tumescit,
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.

Notandum vero Maniam licet affectus sit periculosus & sanatu molestissimus, per se lethalem non esse, nisi vel sibi ipsi violentas manus injecerint, vel aliis symptomatibus supervenientibus obruantur, quum sæpe usque ad mortem naturalem comes, licet parum fidelis observetur.

§. 1112. Nullum remedium in Britannia magis est decantatum quam præcipitatio in mare, hinc Maniacos in mare quasi ex improviso præcipitant & in eo aliquamdiu retinent, unde optimus aliquando sequitur effectus, pro ut major sit perturbatio; sed tamen plerumque hoc tantum sustulit falsam imaginationem, sed hæc præcipitatio incassum est tentata ad materiam sol-

solvendam, & sic hominem hac actione liberat, nam ille humor atrabilarius manet, sed præcipitatio imprimis in spiritus & nervos agit.

§. 1113. Varices Maniaco evenientes sunt salutares; si vero sensus molestiæ appareat ipsi ægro circa pedes, & hi dolere, stupere, pulsare incipiant in suis arteriis, exitus salutaris exspectandus est; proinde ilico confugiendum est ad pediluvia ex lacte recenti, cui incoxerunt radices, folia, flores, semina, fructus emollientes leviter stimulantes & determinantes, ut sunt radices Salsaparillæ, Chinæ, Cæparum sub cineribus assatarum, Liliorum alborum, Rapæ, Liquiritiæ, Glandes terræ adde radices Allii, Acori, Gentianæ, Galangæ, Mei, Iridis Florentinæ, folia Borraginis, Brancæ Ursinæ, Plantaginis, Brassicæ, Parietariæ, Verbasci, Betonicæ, Violarum, adde folia Abrotani, Chamædryos, Absynthii, Fænicu-li & quæ plura talia, flores ut Althææ, Malvæ, Chamomillæ, Violarum, Rosarum Pallidarum, Nymphææ, adde flores Aurantiorum, Agerati, Lilii Convallii, Lupuli, Scabiosae, Salviae &c. quae huc spectant semina, qualia sunt: Cannabis, Lini, Ciceris Rubri, Citrulli, Cucumeris, Cucurbitae, Cydoniorum, Erucae, Faenugraeci, Hordei, Melonis Oryzae, Psyllii, adde semina Anethi, Coriandri, Anisi, Cumini, Dauci, Sinapi, Levistici, Nasturtii &c. fructus quales sunt, Amygdalae Dulces, Dactyli, Ficus, Jujubae, Siliquae dulces, Pastillae majores & minores &c. adde Baccas Lauri, Juniperi, Nuces Myristicae, Nuclei, Persicae &c. quibus secundum artem administratis, leviora Epispastica in usum vocantur,

tur, pedibus applicanda, conſtantia ex aromaticis, penetrantibus & leni ſtimulo, vaſa irritantibus, ut ſunt illa, quæ componuntur ex Abſynthii, Lupuli, Rutæ, Summitatibus, adde Fuliginem, Sal Marinum vel Gemmæ, ſemina Sinapi &c. eo animo, ut naturæ laboranti ſuccurratur, in hunc ſcopum cucurbitæ non parum conferunt. Si Maniacus conqueratur de dolore inteſtini Recti, vel in furore locum hunc ſcalpendo deſignet, ilico clyſmatibus aperientibus, laxantibus, emollientibus anus eluendus eſt v. g.

℞. Rad. Conſol. maj.
—— Althææ ana ℥j
Fol. Parietariæ
—— Malvæ ana Mij
Fl. Lil. alb.
—— Hyperic. ana Mß
Coq. a. ſ. in ſ. q. Aquæ puræ Colat. ℥ix. adde
Sal. Ammoniac. ʒiij
Vitell. Ovor. No. ij
Ol. Lil. alb.
Mell. Roſar. ana ℥j
M. F. Clyſma.

Poſt hæc fovendus anus ſimilibus relaxantibus, & mucilaginoſis, ut vaſis ſic laxatis huc verſus materia determinetur, & à nobiliori parte, quam occupat, avertatur, ſimulac Hæmorrhoïdes jam apparuerint, fricandæ ſunt foliis Ficus aſperiuſculis, quæ ſi irrito ſucceſſu adhibeantur, hirudines ad nodulas Hæmorrhoïdales ſunt applicandæ, ſed quia hæc loca repudiare ſolent, prius detergenda ſunt ablutione Lactis dulcis, tuncque ſi ſaniſſimæ fuerint, ap-

pre-

prehendent & mordebunt: ſicque fluentibus Hæmorrhoïdibus reſtituitur æger. Sanatur etiam hic morbus per Scabiem, ſi vero totum undique corpus pruriat, titillet, rubeat, doleat, caleat, per ſalutarem ægro μετάστασιν morbi materia deponitur ad corporis peripheriam, hæc ſtigmatibus rubris parvis confluentibus defædatur, paulo poſt totidem apoſtemata inde naſcuntur, ut totus homo integra ulceroſa cruſta obſceſſus appareat, & omnis furor placatus eſt; quo in caſu naturam minime turbandam eſſe cenſeo, ſed potius adjuvandam per potum diluentem, blandum, aperientem, aſſiduo magna copia ingeſtum, ut ſic corpus perſpirabile ſervetur, quantum fieri artis leges permittunt; corpore interim adverſus frigus munito admittatur aër liber, purus, frigidiuſculus, ne æger in fætidiſſima hac Atmoſphæra ipſas ſuas exhalationes inſpirare cogatur; ſanatur etiam Mania per evacuationem atræ bilis, ſi igitur conſtet per phænomena bilem atram hujus mali cauſam eſſe, ilico confugiendum eſt ad remedia bilem hanc ſolventia, ſolutam de corpore eliminantia, talia ſunt imprimis Cholagoga dicta veteribus, quæ commode dividi poſſunt in duas claſſes: quorum prima continet omnia ſaponacea naturalia, qualia ſunt, cunctorum fructuum Horæorum maturorum ſucci expreſſi recentes & herbarum Alcalinarum, Abſynthii puta, Allii, Aſparagi, Atriplicis olidi, Bryoniæ albæ, nigræ, Braſſicæ, Cardiacæ, Centaurii minoris, Chelidonii minoris, Chamædryos, Cochleariæ, Naſturtii, Aquatici, Hortenſis Nerii, Lychnidis, Fumariæ, Saponariæ dictæ, Porri, Rutæ, Raphani, Sabinæ, Saturejæ, & quæ plura talia, dein

D 5 ſucci

ſucci herbarum valde: acrium & aromaticarum, ut, Calaminthæ, Hederæ terreſtris, Urticæ, Fæniculi, Scordii, Matricariæ, Meliſſæ, Menthæ, Scabioſæ, Tiliæ, Tanaceti, Calthæ, Leviſtici, Ariſtolochiæ, Petroſelini, Angelicæ, Pæoniæ &c.; deinde Saponacea artificialia, ut Sapo Venetus, niger, Starkeyanus & reliquæ eorum ſpecies, quæ ex oleo & ſale arte combinatis conſtant, huc refero ſyrupos omnes moderate aromaticos; ut eſt ſyrupus quinque Radicum Aperientium, ſyrupus Cichorei & cum Rheo, & ſyrupus Roſarum ſimplex, & cum Senna, Violarum, de Artemiſia. &c.

§. 1114. Hic ſequitur Maniæ ſpecies ſæpius obſervatæ. Multi homines Autumno poſt multas evacuationes debilitati fiunt Melancholici, dein Maniaci, hinc hic morbus caute eſt tractandus, hæc vero ſpecies per Theriacam curatur, hicque vino uti licet & debet, nam ſi ſanguis exaſſatus ſit, quid tum juvaret, ſi ſubduceret; & hoc ordinario circa Autumnum obſervatur in regionibus calidis; hic morbus ſolis Cardiacis reficientibus, replentibus & roborantibus ſanabitur, ut ſunt jura carnium, lacticinia, maxime autem ipſum lac calide hauſtum vel ejus ſerum, lac defloratum, lactis flos &c. huc Panadæ vel Panatellæ Italorum, Britannorum, & Germanorum, vario tantummodo ſpiſſatis gradu differentes ſpectant, tales fiunt ex ſeminibus frumentaceis, leguminoſis, farinoſis, bene maturis, moderate ſiccatis, ſatis recentibus, Tritici, Hordei, Avenae, Oryzae, Secalis Milii, Fagopyri, diverſimode praeparatis, emulſis, decoctis, fermentatis, ut ſapore & odore gratiſſimo ſeſe commendent, hinc ſi morbus ortum ducat à notabili quadam evacuatione,

ne, vel à Morbo fatis acuto & praegresso, imo tantum abest, ut valde moventia innoxie propinari tunc possint, ut potius aegrum in ipsa ingesti medicamenti operatione subitaneae neci tradant, proin constat, quam inepte generalia vel specifica remedia praescribuntur tam variæ interim uno tantummodo nomine insignitae Maniae.

§. 1115. Mania quippe suborta in corpore plethorico, aetatis mediae ab evacuationibus quibusdam sanguineis suppressis requirit largam sanguinis missionem factam lanceola latiori, quae repeti debet ex consideratione redeuntium denuo symptomatum; haec species oritur à tensione vasorum cerebri nimis impletorum & irritatorum; haec est tertia Maniae species; quae in mulieribus sanguine plenis observatur, & ab evacuationibus solutis suppressis, ut apud *Hippocratem* unus est locus, si mammae turgeant, nec lac exeat, nec lochia fluant, tum Mania oritur, quia sanguis non evacuatur; hinc hic morbus oritur 1. ex Melancholia, 2. ab evacuatione & atra bile, 3. ex nimia plethora, quae curatur, ut Epilepsia à plethora, nempe venae sectione & purgatione, donec labefactentur vires, detur etiam quotidie levis potus somnum concilians. Hi aegri violentissime furunt, & aliquando spatio quadrantis horae venae sectione curantur, hinc putant Medici venae sectionem in omni Mania bonam esse, sed *Sydenhamus* optime contrarium docet.

Rabies Canina.

§. 1116. Rabies nullo morbo magis assimilatur, quam Maniae, nisi quod fit cum febricula, caeterum adest furor sibi & aliis nocens.

§. 1117. Rabies non tamen semper adest, nam aegri inventi fuerunt, qui usque ad finem sapientes fuerunt, sed ex decem vix in uno obtinebit, sed tamen vidi.

Canina dicitur, quia apud nos plerumque canibus accipitur.

Hydrophobia; hoc fit, quia deglutitionem metuunt, sed aquam desiderant, sed quia, si ipsis offeratur, à metu deglutitionis convelluntur, hinc metuunt, ne aqua ipsis iterum offeratur ob rationem dictam, caeterum non constat iis, aquam quatenus elementum esse adversam, nam saepe conqueruntur se bibere non posse. Ex omnibus Auctoribus collegi omnia, quae huc pertinent; excussi etiam *de la Charge*, quia omnes canium morbos pertractat.

§. 1118. Homo semper ab animali Hydrophobo infectus laborat, nam ex centum vix unus erit, qui non morsus sit à tali animali, sed quaeritur, an sine communicatione homini accidere possit? dico rarissime observatum; tamen memini me semel hunc morbum sponte ortum vidisse in lectore publico, qui missus subito *Harlemum* maxime festinavit, & toto die in sole aestuantissimo degit nil nisi spiritu vini hoc tempore assumpto, unde maxime fatigatus domum rediit, & postea in febrem ardentissimam incidit, & con-

constrictione tali faucium laborans metuit ipsam aquam & salivae deglutitionem, ut revera his hominibus fit, & habuit omnia symptomata Hydrophobiae, & non inveni ab alio animali in eo malum esse derivatum & ut in aliis animalibus sponte oritur, sic forte in homine in morbis Acutissimis sed tamen raro fit, quia morbus forsan falso pro Angina habetur.

§. 1119. Si una vacca demorsa cornibus petat alias, tum omnes inficiet, hominesque saepe laedere voluit; adfui homini morienti, qui amicis suadebat, ut abirent, nam aliter evitare non poterat, quin spueret & laederet eos, mens enim sana aliquantulum ei erat.

§. 1120. Canes plurimum furiunt; feles pejus his, lupi pessimas strages faciunt, vulpes omnia perdunt. *Willisius* ejus rei habet electas & fidelissimas historias. An hoc etiam propagatur, inquiritur maxime? nempe si homo momorderit alium & salivae adegerit portiunculam in sanguinem alterius, puto omnino, sed spuma sola hoc non facit, nisi corpus sudet, tum est metuendum, & puto, licet quis non sudet, tamen esse metuendum.

§. 1121. Maxime omnium est frequens morsus canis, lupi, vulpisque, quae animalia maxime inter se conveniunt; non novi animal rabiosum evasisse, quod modo seclusum est, si v. g. cani aestivo tempore lardum rancidum balenae edendum praebeatur ad catenas oblivifcendo potum, tum eodem modo furit, ac si à rabido cane morsus fuerit.

§. 1122. Regio fervida magis versus Æquatorem sita, hinc in Sicilia, Hispania, Italia, morbus est frequentissimus; vicissim ubi atrox frigus & aestate ingens fervor adest, ut in Sue-

cia, Dania, Russia, aliisque regionibus Borealibus.

Victus est carne putrida &c. Si canes carnibus suspensi uno alterove die vescantur, tum fiunt pugnaces, tandem rabidi, sitis ingens, si à famulis iis aqua non detur, famulos accedentes demorsos esse contigit, aut si dentur carnes putridae.

Vermes. Est canium genus, quod homines aggreditur non latrando sed grunniendo; hi cito fiunt rabidi, & in his dissectis renes fuerunt inventi vermibus sanguinolentis pleni, à quibus totus ren exeditur, nil nisi pellicula externa remanente, sic ac in *Frisia* & *Brabantia* vulgare est inter boves, vaccas & tauros, quod habeant vermes in sinu frontali & tum furiunt; si vero rustici in tempore videant, tum perterebrant ibi caput, vermem extrahunt, & tum sanantur.

§. 1123. Primum inquirendum est, an animal fuerit rabiosum, si non spes sit curationis, modo tollatur imaginatio, si rabidi fuerint, non negligendi sunt. Signa incipientis rabiei in cane sunt, si fiant tristes, & se abscondant in quodam angulo, cum alias semper hominum consortium quaesiverunt, multi nunquam latrant, sed murmurant, grunniunt, si canis, qui semper antea latravit, nunc mutus est, tum est mergendus, nihil bibit, cum aliter multum bibebat, aestuat, nam si edat & bibat, tum malum nondum ei adest, sed si omnibus sit molestum, & animal antea humanissimum & fidelissimum benefactoris immemor, somnolentum, torpidum; hoc est primus gradus mali. Morsus quidem in hoc casu est pessimus, sed tamen non desperandum est; si mora

morsus sit homo, tum statim est inquirendum, in quo gradu hoc factum sit, si in hoc, tunc spes est sanationis, in secundo gradu anhelant, incedunt ut ebrii, ut torpidi nec herum noscentes amplius, spumam ex ore emittunt quia nil salivae deglutiuntur, unde fit, quod hi ante ore incedant, tum dicunt Belgae *de Hond zit*, si morbus porro pergat, tum vocant Belgae canis currit *de Hond loopt*. Dein gracilescunt, nam novi canes intra viginti quatuor horas fuisse furibundos factos, & adeo graciles, ut nosci non potuerint, sic etiam de hominibus verum est, talem canem grunnientem vidi in via *Hagæ Comitis*, ille omnes stipites, arbores, truncos sibi obvios momordit, sed tamen raro nisi irritati deflectunt à via sibi proposita; hinc nunquam quiescunt, currunt, sedent, non vident, an impingant in lapidem vel arborem, caudam inter pedes gerunt, linguam plumbeam siccam spumosam, at hic morbus non diu durat, vix viginti quatuor horas ferunt, per omnia loca sine discrimine currunt, hic morbus in hoc gradu est vix sanabilis. Semper observavi in morsu à cane rabido, quod quo morsus factus sit proprior morti animalis, eo homo citior & pejus malum accipit, nam ille intra sex vel septem dies moritur.

§. 1124. Erat quidam Vir nobilissimus, qui videns caniculum pulcherrimum, illum ex amore accepit, & caniculus eum momordit in labium, sic ut vulnus vix apparuerit, ilico vero eum dimisit, sed ille tamen hinc mortuus est, hinc tam leve vulnus non debemus vilipendere, quasi esset nullius momenti, sed bene curare & in his Medicis obsequi, qui de his scripserunt.

Esu

Esu Lactis &c. Hinc haec animalia ex mandato publico sunt interficienda & tota sepelienda. Multa sunt experimenta *in Pandectis Medico-legalibus Clarissimi Valentini*, ubi omnes casus judiciales colligit, & haec habentur à carne furiosi bovis comesta, unde omnes Medici pronunciant summa esse pericula. Ægro Hydrophobia laboranti non est dicendum, quod malum sic communicetur, nam debemus ipsi dicere nil mali subest, nam aliter inquieti sunt.

§. 1125. Tempus, quo à morsu accipiunt furorem, est incertum, primo die tempus est citissimum, quod annotatum invenimus, annus vigesimus est tardissimum, & hi homines singulis annis quosdam insultus habent, de quo non sciunt, quid sit, sed de quolibet intermedio tempore apud Auctores exempla habentur.

Viginti integros annos. Hoc vero nunquam hominibus est dicendum, nam hi demorsi à cane vel rabido vel non, tamen semper per tantum tempus in metu essent, sed tamen nos Medici omnem possibilem cautelam adhibere debemus, si vero canis hominem mordeat, prima hora morbi, tum diu latet, & quidem per annum, si vero tertio die, tum citius multo se manifestat.

Victu. Sic plerique inceperunt pati malum, vel postquam plurimum pinguedinis vel Spiritum Vini, vel Vinum assumpserant, vel sic febrem accipiebant, unde corpus turbabatur, & hic virus tamdiu latet.

Pituitosi vix afficiuntur, verum mirum est, quod ille lupus rabidus multos momordit, qui ma-

malum non acceperunt, ab aliis vero nulla præcautione malum averti potuit.

§. 1126. Hic Phænomena hominis infecti annotantur, quæ aliquoties ipse observavi. Primo locus, cui primo impressum est contagium, nempe si in brachio vel crure, valde dolet, deinde oriuntur lassitudines, dolores vagi, &c.

Maxime vicina. Hinc illi ægri conqueruntur de doloribus, quos in alio casu Rheumaticos inflammatorios appellare solemus, tum ægri lectum quærunt.

Subsultibus; quasi terrerent, si roges, unde te sic habes, unde tam inquietus, dicit se nescire.

Solitudinis studium; nil plus abhorrent quam esse in hominum consortio.

Sanguis bonus. Hoc verissimum, nam nullo modo est inflammatorius.

Ingens angustia &c. Nempe ubi finitur œsophagus, & ubi os ventriculi inferius nullus dolor nisi in fine; nam debemus hic differentiam facere inter signa Pathognomica & Symptomata morbi, omnes ægri conqueruntur, quasi hæc loca prelo comprimerentur.

Respiratio difficilis. Nam cum singulari sonitu & emphasi respirant, & hoc faciunt, licet non angantur ab aqua; si possint, furtim se subducunt.

Horror ad aquam. Non verò ita horrent ab aquis, ut *Lysterus in actis Anglicanis* in duobus casibus narrat; erat æger, qui suppositam pelvim aqua plenam videre poterat, imo manum immergebat, dicebatque se refici, & bibere velle, sed quando ad os veniebat, tum convellebatur, & ipse ante annum vidi in homine satis

satis probo Memnonita nomine *van der Kluys*, qui laudabat aquam & cerevisiam mente optima compos, sed suam miseriam deplorabat, quod bibere non posset, tum rogavi, ut bibere vellet & dixit, faciam, quidquid potero, & poculum arripiebat, faciemque avertebat, sed cum applicaret, horrendum visu omnes musculi faciei & oris convellebantur; & bibere non poterat, dicens nescitis quasnam habeo convulsiones & anxietates, hincque puto modo hos homines horrere aquam, quia ab ejus deglutitione ita convelluntur.

Specali. Quia ilico tum horrendam faciem habent, & si tum semet-ipsi vident, hinc horrent, dicuntque o quam mira imago mea? & puto hoc hinc magis fieri quam ab Antipathia.

Prostratus &c. Notabile hic est Britannici illius viri exemplum, qui sciebat se aqua infectum curari debere, aquam afferri jubebat, cum allata esset, dixit se aquæ aspectui oblectare velle prius, sed ad os non applicare poterat & dicebat se bibere posse, jussitque ut tenerent pelvim, at si ad os pertingeret, convellebatur omni semper vano tentamine, ipse bona adhuc mente sciens hanc solam esse curam, sed aquam scire non poterat.

Attactus humoris. Si enim clausis oculis poculum sumant, & labiis admoveant, tum totum corpus contremiscet.

Priapismus satis malignus quamdiu durat, sic hic descripti sunt Hydrophobi.

Procedit malum &c. tum ubique dolent, & vellent se mortuos esse, si accedat aliquis, se continere non possunt, quin semper spuant; mens prudens adest in summa ἀκμῇ, sciunt se furere

furere & mallent se esse mortuos, quam ut alios lædant.

Postea &c. Semper linguam efertam habent, & spuma sicca ad latera hærer.

Furor. Nam adeo horrent a deglutitione salivæ, ut nos à visceribus bovis putrefactis.

Spuma. Rogavi ægrum, de quo antea dixi, ut vellet deglutire salivam, dixit non possum, est enim adeo putrida, ut inde convellar, hinc præ metu, ne quid cadat ad posteriora faucium, semper exspuunt, & sic quandoque in homines adstantes forte spuunt; ille æger malum acceperat à morsu felis in manu, quod vulnusculum neglectum erat, ad hunc vocatus fui morbo jam præsente, sed nil scivi de morsu, sed tandem ex ore ejus intellexi, hinc ipsi multis horis adfui, & quoque ultimo tempore vitæ, ubi manibus & cruribus se sustinebat capite interim prono instar canum, tuneque delirabat & sciebat se delirare, nam semper mens constabat, si vero mente adhuc valeant, tum manu spumam arripiunt & in terram dejiciunt.

Metuens. Multi Medici, accedere non audent, sed tamen omnes illi ægri, quos vidi, erant tranquilli, malum nonnunquam deplorabant, & dein iterum delirabant, & tum se Deo committebant &c. & sic interpolatis vicibus delirabant.

Intra quartum &c. Non novi diutius vixisse.

§. 1127. Ex historia data cognoscendus est morbus, nempe à morsu animalis rabiosi, narratione aut conjecturatione assequimur, nam aliquando ipsi ægri sibi hoc factum nesciunt, sic vidi summum virum, cui vesperi domum re-

redeunti in atrio occurrit canicula pulcherrima; quum ille caniculam attrectare vellet, ab illa fuit morsus in digito, mane vero vulnus abierat, post aliquot septimanas malo corripitur, aquam horret, unde morsus recordatur, curatio frustra fuit tentata eventu tristissimo, à medicinae principibus vero unanimiter asseritur demorsorum nondum rabiosorum praeservationem à rabie certam non dari, hoc consentiunt candidi non jactatores: qui omnes scientias pessumdant, aquam paventium nullos sanatos scribant, nec norunt, sed tales, qui aquam non pavent sanari, ast quomodo hoc fiat, ipsi nesciunt. Rogo hic omnes Medicos, an habeant certam methodum, sed credo omnes responsuros esse se illam non habere & nullum fere exemplum habemus ullum esse sanatum, nisi apud *Diogenem Laërtium*, ubi Philosophus erat morsus, ille in balneum ingressurus putabat se ibi canes videre, quos etiam timescebat, hinc ille ingressus natavit & sanatus est. Medici semper in iis perstiterunt, quod juvare non possint, fugiunt ab aegris, agunt per internuncios, ut plerumque in Peste, exceptis paucis.

§. 1128. Dissecta sunt plurima demorsorum cadavera, inventum est os siccum, lingua tumida, fauces, larynx, aesophagus inflammata, hinc putaverunt quidam causam mali esse impeditam deglutitionem, sed non credo hanc esse causam potius effectum; sed si aegri summa persuasione potum assumant, tum subito convelluntur, at quando in ventriculo devenit potus, tum facile ferunt; Auctores crediderunt siccitatem & inflammationem provenire, quod non habeat gluten in stomacho, sed potius credo esse effectum, nil edunt, bilis

lis regurgitat, hinc bilis atra non est causa, sed effectus, nam in febre Ardente, ubi non bibitur semper talis ambusta bilis inventa est, pericardium est siccum, omnis fere sanguis in pulmones congestus, neque id facit, sed sequitur morbum, semper furiunt, spuunt, ardent, nil recipiunt, sanguis siccatur, incrassescit; sanguis in corde est siccatus à nimio ardore, arteriæ plenæ, venæ vacuæ, hinc sanguis est adeo crassus, ut in venam non transeat; hæc omnia semper invenietis, sed hinc est concludendum hoc morbum primo fecisse, nam æger habuit febrem, & deglutire potuit, hinc siccitas, vide *Boneti Sepulchrum Anatomicum.*

§. 1129. Prophylactica & Therapeutica incertissima sunt paucis exceptis, qui se quid invenisse gloriantur, tum vix unum exemplum rei præstitæ promunt, eventus vanus est, non crediderim majus in medicina esse damnum, quam quærere specifica, tamen quod quædam adsint non negamus, sed certior est methodus, quam his quærendis, v. g. Cortex Peruvianus millenis experimentis notus est prodesse in febribus, alii easdem curant Methodice dato pulvere Chinæ Chinæ, & sic qui superstitiosi sunt & miraculosa credunt, dicunt *Sancti Huberti* floccum fissuræ in fronte factæ impositum curare rabiem, vidi Clarissimos Professores audacter scripsisse in horum remedio, ut æger sanetur, sed minime verum, & nil boni habent nisi projectionem in aquam, nonnulli laudant ungulam canis, quam nonnulli canes ad pedes habent, nonnulli pellem canis rabidi loco affecto esse imponendum, sed puto hoc esse periculosissimum.

§. 1130.

§. 1130. Hoc mihi videtur clarissimum & certissimum primo affici nervos, morsus enim sæpe non penetrat, usque ad sanguinem, dolor afficit nervos, hinc in nervis primum symptoma, dein insomnia terribilia, denique convulsiones, quæ ad nervorum affectiones sunt proxime referendæ. *Lysterus* notat, quod fuerit aliquis Hydrophobus, qui jam aquam metuens cum uxore in lecto paroxysmum accepit, & cum uxore coivit, quæ inde nil mali accepit, dein & hinc puto hærere in spiritibus, quia sanguis in initio est bonus, paulo vero ante mortem fit instar picis; sic & primo habent summe turbatos spiritus & varios insultus, & hinc puto proxime referri posse ad speciem convulsionis, nam primo à potu quodammodo abhorrent, dein magis & tandem bibere non possunt. *Lysterus* invenit cor sinistrum fere vacuum, & omnem sanguinem in venis. In deglutita radice Cicutæ Aquaticæ, quæ vomitu rejecta, statim convulsio cessat, retenta brevi moritur æger; ergo malum non erat in sanguine, aliter homo rejecta radice mori deberet tantum ex nervorum irritatione.

Stomachum. Omnes dicunt se ibi inexplicabilem angustiam ad os ventriculi sentire, unde videtur rete nervorum circa os ventriculi & diaphragma affectum esse; stomachus vocatur ille tubus à faucibus usque ad ventriculum. Nunc sequitur cura, & puto omnes curari posse, si modo in tempore Medicus prudens adsit.

§. 1131. Curatio Prophylactica imprimis sex sequentibus modis fit.

1. Totus locus pertundendus est magnis scarificationibus, hinc sanguis extrahendus, ut par-

partes fiant apertæ, ingentes cucurbitæ applicandæ, ut partibus mortuis venenum non communicetur amplius, & sanguis exsiliendo veneno abluetur, tum inscio aegro subito ferro ignito locus inuratur, sic subito venenum exstinguitur, non vero tantum bullulae inurendae sunt, sed locus satis profunde urendus, unde scarificatione & ustione pars mortua fit, tum ulcus apertum & exulceratum teneatur, hinc apponitur v. g. unguentum Basiliconis cum Mercurio Corrosivo seu Aceto si nimium concrescere conetur, & tum continuo madefiat à sale & aceto, & lintea in his madefacta continuo imponantur; hinc summum remedium exstinguens hoc venenum est sal & acetum, cujus egregia habeo exempla in canibus & felibus, ex his compressa immersa & humectata muria, sale & aceto.

2. Auctores quidem dicunt, vestes vel alia aqua maxime abluta non infecisse, melius vero est non fidere, sed abjicere & comburere.

3. Quo enim magis metuunt se jam praecipitatum iri, eo melius, si vero non metuant dicentes possumus natare, tum nil juvat, ut apparuit in exemplo illius Britannici, qui cum navi ex nostro portu in Britanniam erat navigaturus, sed cum duobus milliaribus abesset à portu, navis fregit, ille per aliquot horas in mari fuit, & tandem ad littus veniens Deo pro salute gratias agebat, & ad negotia sua urbem versus, sed quatuor vel quinque dies post habuit morbum terribilem & Hydrophobus factus est; ille tum narravit se à cane rabido esse morsum paulo antequam navim ingrederetur, & ille tamen hinc mortuus est, quod forsan factum est, quia fidens sua arte natandi non

per-

perterritus fuerit, inde patet aquam falfam non curare hunc morbum, fed tantum rerrorem fubitum nervorum genus mutans & venenum excutiens.

4. Bina exempla habui, quod à fele rabida, ut in duabus puellis, uni crus dentibus & pedibus terribili fpectaculo erat laefum & plufquam centum vulnera habebat, altera vero eodem fere modo erat morfa, felis eim illis erat propria & amica, fed has curavi, & ambae adhuc fupervivunt, hoc factum vero eft abhinc decennium, fic & duos aegros curavi, qui à cane rabido erant morfi, fed forfan cogitatis hos non fuiffe rabidos, fed, tum nulli Auctori in his eft fidendum, nam puto me certo fcire animalia haec rabida fuiffe; haec omnia, quae hic dico in initio funt inftituenda. Fiat Acetum aromaticum cum faccharo pauxillo, Aceto, Marrubio, Alyffo Diofcoridis, de quo aeger bibat omni mane, unde per horulam fudet, ut omnes humores in aequabili perfpiratione laborent.

5. Quo plus aeger aquae tepidae immergitur, eo plus humores ejus diluuntur, & illa aqua fe melius infinuat.

§. 1132. Hoc feci in illo homine *van der Kluys*, fedcum ante duos dies non diceret fe effe morfum à cane rabibo nil profuit nam primo die de tali re non aufpicabam, ideo modo praefcripfi ufum aquae cum pauco Vino Rhenano ad refrigerandam febrem Ardentem, quam adeffe putabam. Ab initio medicinae ufque ad hocce tempus, tria exempla modo fcio, curatum effe Hydrophobum, nifi quod & nonnulla à lupo illo, qui in pago quodam tot homines momorderat, evaferint, fi homo Medico primo

mo adveniente diceret morsus sum, tum adhuc curari posset.

1. *Inflammatorius*. Nam sanguis hic exustus est, nil bibunt ægri, & hinc puto illos non mori à veneno, sed ab effectu veneni, quia nullum diluens & nullus chylus sanguini valde moto accedit, hinc optimum est clysma injicere omni quadranti horæ; venæ sectio instituatur usque ad animi deliquium.

Clysmata. Nam ex his non expavescunt, & sic tanta aquæ copia injici requiritur, licet quandam partem iterum dimittant, semper tamen maximam partem retinent, atque ita non opus est, ut nos homines cum potu ita torqueamus.

Aquam. Sic vidimus ante tres menses hominem, qui ne guttam aquæ bibere poterat, sed cum ipsi dicerem, debes bibere, aliter tantum aquæ frigidæ in corpus tuum injiciemus, donec bibas, attamen dicebat, non possum; sed faciatis id, quod ars præcipit, & hinc magna copia aquæ ad ejus corpus est affusa & tum tandem dixit, jam puto me bibere posse, & tantum bibebat, quantum voluimus, & non timebat pro potu, sed hoc in illo homine jam erat tertius dies morbi, & si primus fuisset forsan hinc sanatus esset, ille homo primo mane bibere non poterat, sed dein aqua perfusus bibit, sed iterum evomuit cum materia biliosa & iterum assumpsit, ut tandem retineret, sed aliquot horis post iterum bibere non poterat, & repetita profusione aquæ iterum bibere poterat, sed tamen dein iterum impotentia ad potum rediit, & sic tandem mortuus est, primo vero impotentia ad potum oriebatur, quia potus ad ventriculi os sistebatur. In Britannia il-

los ægros Medici alligabant palo, & fistulis aqua plenis perfundebant; simile refertur de Philosopho Atheniensi, qui se invitum in aquam projecit, alii Medici ægros laqueis in pavimentum constringunt, & aqua perfundunt ut supra; id solum in hac curatione est infortunii, quod uno vel altero anno duobus vel tribus diebus, quibus ante eos occupaverat malum, sunt mæsti & Melancholici, sed recidivam nunquam patiuntur; inde patet, quod sit morbus inflammationi & Gangrænæ similis, hinc aquosa sunt optima.

§. 1133. Omnia medicamenta calefacientia pessima sunt, ut Orvietanum, licet *Lysterus* & omnes fere alii laudent pulverem Palmarii, Theriacam Andromachi, Diascordium &c. sed hæc videntur ipsum morbum facere, & hæc nunquam juvarunt, hic vero tantummodo diluentia conveniunt. Si nimis furant, statim currunt ad Magistratum, ut ægri suffocentur, Medici prius consulendi sunt, & omnia præcedentia dicta medicamenta tentanda sunt, denique ægri sunt coërcendi, ne aliis noceant, instituenda balnea, nam nunquam illi ægri suffocari debent, sunt enim nimis debiles, ne malum facere possint.

§. 1134. Verum enim vero hic non est desperandum, nam in Actis Parisiensibus habetur exemplum puellæ curatæ, quæ jam furebat, & bibere non poterat, illa vero palo alligata multa aqua aspergebatur, contra quam furebat, sed tandem dixit, quam mirum, quod jam non magis paveo aquam, nam mihi ejus affusio grata est, & tum bibebat, & sic quodammodo sanata est, sed tamen omni anno aliquid rediit de paroxysmo, sed non ita gravis fuit.

An

Antidoto. Nam omne venenum habet antidotum, hic vero guttula spumæ sanguini communicata inficit hominem, si ergo aliquid, quod contra hujus guttulæ operationem ageret, vel ejus esset antidotum, tum cura facilis esset, nec de hac re desperandum, nam homo ictus à Scorpione, si assumat oleum, in quo coctus est Scorpio, nil nocet, sed illud oleum præservat ab hoc veneno; ut panis à morte; à Lupo nuperrime grassante fere quadraginta homines fuerunt morsi, triginta circiter mortui sunt, & decem servati; si horum omnium historia accurata esset notata, multum forsan lucis medicina in hoc morbo accepisset. Venatores laudant pilos canis, qui momorsit, cui tum non confido, cum experimenta adsint, sed potius metuo; fiderem, si canis ipse in se haberet venenum, ut Scorpio & Vipera; quod non ita fert.

§. 1135. Ut de hac re certus essem à *Celso* usque in hoc tempus omnes Auctores de hac re scribentes evolvi, & vidi quidnam haberent, quid laudarent. *Galenus* & ejus descriptor *Oribasius* scribit præceptorem suum *Æschrionem* dedisse Cancros combustos & pulverizatos in potu, omnes Hydrophobos curasse, verum experientia non confirmat. *Scribonius Largus in libro egregio de Compositione Medicamentorum* describit Opiatam, qua omnes Siculi curati sunt apud quos frequens est rabies, nec hoc confirmatur.

Nec peregrini &c. Hoc est animal Lupo simile, sed hoc nil juvare credo, & præterea hoc animal tam rarum est, ut adhuc dubitetur, an adsit in rerum natura, dicitur quidem proconsulem Romanum hujus usum suis com-

mendasse hoc in casu, sed non puto tale animal esse, nam dicitur esse animal Lupo simile, quod noctu circa tiguriam ploratum edit, ac si infans ploraret, ita ut homines putarint suorum vicinorum infantes ita plorare, & tum aperientes januam, hoc animal in hos homines valde insidiose insilire, hosque pro præda abripere, sed non credo, quod talia animalia adsint, & puto esse fabulam à Plinio vel Aristotele inventam. Cinis Cancrorum cum Theriaca laudatur, sed calidum est medicamentum, vidique plurima copia data nil juvasse. *Grew fidus scriptor* & *Theodorus Mayerne* laudant Mithridatium cum pulvere veri Stanni Anglici, quod calidum est medicamentum.

Nec radice Cynorrhodonis. Hoc habetur apud Gallum quendam Sacerdotem, qui dicit sibi à Deo revelatum, sed puto nil minus verum, sed quia ipsa vox significat Rosam Caninam, hinc forsan putarunt Auctores, quia sic dicebatur, hinc Rabiem curare Caninam, hæc Rosa habetur ad Januam horti introitus ad dextram, estque ibi prima, hæc Gallos gerit, in quibus adest vermiculus, qui Batoscymus dicitur.

Nec Lichene. Est infima pars Ostreæ Maris, quæ Ostrea oblonga supra ignem non fumantem crepabant, & in pulverem redigebant, dabantque mane ad dragmam unam, puto vero quidem concedi posse sed supra dicta non negligenda sunt, verum tamen videtur aliquid boni compertum, de Ostrocodermatibus & Coralliis, sic medicamentum *Clarissimi Grew* potest esse bonum. Fæmina fuit *Dantisci*, quæ pro certo & infallibili medicamento vermes Majales in melle coctos ægris vendidit, illud vero quoque descriptum inveni *in Arnol-*

di

di Wikardi Thesauro Pharmaceutico seu Tractatu Praxeos nempe ℞· Scarobæos vulgo Myroloſtri, abſciſſis eorum capitibus, ſuffocentur in Melle deſpumato, relinquantur per aliquot ſeptimanas in ſole, de his ita conditis N°. 4. contundantur, addantur aquæ Anagallidis. Verbenæ ana unciæ quatuor, diſſolve & exprime per linteum colatum protinus ad bibendum ab initio datur calida, ut vulnus diu apertum teneatur, laudatur quoque imprimis Mercurius Præcipitatus Dulcis, qui eximium & præſtantiſſimum eſt remedium, quod non modo vulnus occludi prohibet, ſed etiam ex alto venenum extrahit, ſi quotidie parum inſpergatur, egregie quoque venenum eliciunt Caepae, Allium, Ruta contuſa, & cum Melle & Sale miſta impoſita, ſed ſi haec omnia non in principio adhibeantur, ſed poſt decurſum duorum vel trium dierum, tum vana ſunt omnia fere arcana, quocunque etiam titulo ab Auctoribus Practicis laudata & commendata ſunt.



Scorbutus.

§. 1136. Nomen à Belgico antiquo *Scorbeck*, quaſi oris laceratio, quam partem maxime inveſtit, Scorbutus videtur eſſe à *Plinio* deſcriptus ἀ στόμα ος κακία malitia, quae ſignificatio cum nomine *Scorbeck* convenit, & *Plinius* dicit ita vocaſſe Belgas & apud *Hippocratem de Lienoſis* ſunt exempla maxime huic morbo convenientia, ſed ob regionis ſitum & peregrinationes tunc temporis rariores ad haſce oras non ita

frequentatas, infestat enim imprimis regiones, ubi parum Solis, ut in Groenlandia, ubi si nostrates pauco tempore fuere, rigent & faetent à Scorbuto, manifestantur imprimis magnis navigationibus, sed veteres tantum legebant littora Regni Lusitaniae. Difficile est ideam dare Scorbuti, quoniam est morbus adeo involutus & varius, verum optime de eo scripsit *Germanorum Galenus Sennertus* per collectionem rarissimorum Auctorum quam edidit, scripserunt quoque *Willisius* & *Gesnerus* quaedam de Scorbuto, & alii inter nostros Batavos quam plurimi; *Hippocrates* quoque hujus mentionem fecit *in capite de Morbis nigris*. Veteres Medici Batavi dixerunt omnes morbos Chronicos $\frac{2}{3}$ partem esse Scorbutum, ejusque productum; & in Anglia idem obtineret, sed cum incolae magis vinis & recentibus carnibus utuntur, hinc illi morbo non adeo sunt obnoxii, unde etiam venit, quod nunc in Hollandia illa non adeo est familiaris, quam solebat. Lienosis exulcerari & ulcera erumpere & quasi exedere carnes, & haec sunt verba *Hippocratis*, quae ad hunc morbum quodammodo referri possunr, sed veteribus non fuit adeo bene descriptus, quia non tam multum navigarunt, & vix in mari noctem transierunt, & hinc non mirum, quod de hoc morbo multa dixerint; quae huic morbo, ut hic habetur, conveniunt; hujus morbi dirissimum exitum *Joris Spitbergen* in Diariis optime descripsit, quae in Groenlandia, licet hinc mortuus tamen hoc reliquit. Inter recentiores etiam Medicos nemo melius descripsit, quam *Eugalenus Frisius*, qui difficillime antea acquirebatur, sed repressus est *Amstelodami*,

§ 1137.

§. 1137. In describendo hoc morbo summam navit operam *Sennertus*, *qui in Tractatu de Scorbuto* omnes Scriptores Antiscorbuticos collegit, quos hic in paucos Aphorismos collegi, semper fere Medici Boreales affirmant plusquam $\frac{2}{3}$ morborum oriri à Scorbuto, hinc accurate est examinandus. Puto, quod morbus, qui Scorbutus dicitur, unus æque distet ab altero, quam etiam Scorbutus vocatur, ut Pestis ab Hydrope; sic & species quædam, quam per Trifolium Aquaticum intra duodecim dies curare possum; alia est species, quam cum Cochlearia intra sex dies curare valeo; si vero hæc in alia specie detur, tum hepar crepare facit.

§. 1138. Ille morbus nunquam in Italia, Hispania &c. est deprehensus, & ibi non cognoscitur, ibi quoque hæ herbæ Antiscorbuticæ non crescunt, neque habent Trifolium Aquaticum, neque Coachleariam &c. hæ neque in divitum hortis habentur, sed hic imprimis in æruginosis locis, ubi Scorbutus maxime grassatur bonitate naturæ crescit. *Otiosos.* Si homo etiam maritima loca incolat, & tantummodo se fortiter moveat, ille non habebit Scorbutum, sed ille, qui multo plus à mari abest, si otiosus sit, hinc statim inficitur, sed hoc ad Medicum, nam nos semper loquimur cæteris paribus. In quodam bello cum Gallis Batavi inundarunt terram hac aqua salsâ maritima, & hinc maris quisquiliæ superadscendebant terram, unde multa millia hominum infecta sunt. Sic invenietis in hac regione loca paludosa vulgo mœas belgice *Veen-polders*, ubi glebæ terreæ combustiles educuntur, si tum autem profundius terram extrahere possint, tum aggerem circum circa locum faciunt, & aquam

ope molendinæ exarahunt, & fic cefpitem porro terram accipiunt, illi homines funt quafi fub aquis, & inter hos vix inveniuntur, qui dentes non habent à Scorbuto exefos & cariofos, dein ex ore delapfos.

Lapidibus. Quæ lignea pavimenta habent, meliores & faniores funt.

Item quas aves &c. iis in locis; qui talibus vefcuntur præ reliquis Scorbutici fiunt.

Morbis lentis. Nam nemo fere ex Quartanis refurgit, nifi poftea Scorbutum accipiat.

Cortice Peruviano. Sydenham, qui hoc cortice multum ufus eft, dicit fe unum incommodum in hoc reprehendiffe, nempe quod Scorbutum producat, hoc vero fit, quia materia à febre ejicienda nondum eft educta, & tum dato cortice Peruviano adhuc hæret materia & verfus cor fluit.

§. 1139. 1. Hæc quæ hic dico, ita fe habent, fi non alio morbo laborarint paulo ante, feu adhuc morbo detineantur.

Primo homo, in quo incipit eft folito pigrior, unde femper federe vel decumbere vult, non quidem cupit dormire fed quiefcere fi hoc accidat in fine alius morbi, eft fignum Scorbuti accedentis.

Laffitudo fpontanea &c. Si homo commode gradus adfcendere affuetus fentiat crura quafi fuftigata, membra quafi dedolata, Scorbutus fatis validus eft.

Lumbis. Quafi plumbum ibi effet infufum.

Acclive. Nam qui antea folebant faltare, jam paulo poft pontem adfcendere & defcendere non poffunt, quin defatigentur, fed hæc omnia non procedunt à defatigatione externa, neque à crapula neque à morbo prægreffo feu præ-

præsente, & tum certo definiri potest, primus morbi gradus est præsens.

Mane à somno &c. Qui, a bono somno levis sanus est, sed qui resurgens à bono somno est quasi delassatus, nec alius ipsi morbus adest, Scorbuto laborat, hic primus Scorbuti est gradus.

2. Si nempe duas domus præterire non possint, quin quærant occasionem standi.

Crurum tumor it & redit, hinc distinguitus à tumore Hydropico.

Maculæ rubræ. Omnia macularum genera ab hoc morbo & Peste demonstrata sunt communia, nam *Diemerbroek* de Peste agens dicit se in Scorbuto tales maculas vidisse, quales in Peste viderat sine ullo malo signo.

Faciei color. Inter flavum & lividum.

Oris fœtor. Nam effundunt ingratam exhalationem.

Gingivæ tumentes. Si sani sint, tum hærebunt non rotundæ sed planæ ad dentes non nimis tumentes, nam si tumeant & sint rotundæ pressæque sanguinem fundunt, tum pars dentis non magis nutritum, hinc dens vacillare incipit, & gingiva facit deorsum semi-lunam.

Dolores vagi &c. Si Acrimonia Scorbutica, ad latus deponatur; tum putat plerumque Medicus esse Pleuritidem inflammatoriam, si vero remedia contra Pleuritidem dentur, tum pessundatur æger, dolores oriuntur stomachici, si feratur ad ventriculum; Iliaci, colici, si ad intestina; Nephritici si ad Renes &c. Omnes hos morbos curant decocta Becabungæ vel similia; ægri quæruntur de notha Pleuritide, ventriculi musculorum lumborum, dorsique doloribus, & de longo alio diverso morbo

unde Medicus videt specificam Acrimoniam humorum peccantem, sed diversis locis hærentem, sed una hac medela tollit omnes hos morbos. Omnia hæc symptomata fere semper in his regionibus in Scorbuto observantur.

3. *Gingivarum putredo.* Hic est morbus ille fætidus hisce regionibus adeo notus, unde diu ægri languent.

Sanguinem specie pellicularum flaccidarum.

Varicosi annuli &c. Medici antiqui Batavi, an curari bene possit Scorbutus, sub lingua inquirebant, si annulos varicosos ad raninas venas invenirent, id est, si venæ raninæ varicosæ, extensæ, tumidæ & lividæ essent, tum desperabant, & *Eugalenus* dicit, si hæc ita sint, tum notant pessimum Scorbutum.

Hæmorrhagiæ &c. Sanguis acer vasa rodit, unde sanguis effluit, hinc multi Phthisici exstincti sunt ab acrimonia Scorbutica vasa pulmonum erodente, cum aliter nil Phthisicis commune haberent, Hæmorrhagia ibi facile fit, quae vasa nullibi tantum sunt nuda, quam ad gingivas, & hinc pressione sanguinem emittunt, unde Scorbutici saepe sanguinem mingunt, nam in vasis ab Acrimonia Scorbutica subputrida haeret, unde oritur tabes, hinc vasa contrita in mucum adiguntur, unde patet, quam male agunt Medici ilico praescribendo valida stimulantia, v. g. si spiritum Cochleariae, Elixirium Proprietatis Paracelsi, Sal volatile Oleosum, quae omnia morbum augent, ab alcali oritur, vidique Medicum in Scorbuto praescripsisse succum Cochleariae ad libram unam, unde aegri magnam Haemorrhagiam passi mortui sunt: si vero ab acrimonia acida, (quod rarius quam ab alcali) tunc haec alcalina valent.

Ulcera

Ulcera illa in Scorbuticis notissima sunt, aliquando vix curabilia, Scorbuto curato plerumque sponte fugantur; talia ulcera etiam in Lue Venerea apparent.

Sanguis semper talis parte atra quasi grumescens, in multas maculas divisus in parte serosa; mucus quasi flavus, fit Scorbutus in tertio gradu & est pessimum signum.

Dolores. Similes sunt iis, qui in Lue Venerea oriuntur, unde confusio orta est inter hos morbos, sed differentia in eo residet, quod in Lue Venerea mane dolores desinunt, in Scorbuto manent, dein & in Scorbuto circa juncturas, habetur dolor aeque per totum corpus diffusus, sed in Lue Venerea in medio ossis habetur, nisi vero hae distinctiones essent, omnia inter se haberent communia, nam faetor, dolor &c. sunt idem.

4. *Febres variae &c.* In quarto gradu sanguis corruptus non amplius aequabiliter fluit, sed erodit, acceleratur, stagnat.

Atrophia. Sic ut diceretis, hic homo laborat febre, cum tantum sit Scorbutus.

Vomitus &c. Mortem inducit post omne fere morborum genus praegressum, si hepar obruat, fiet Hepaticus, dein Diarrhaea ichorosa hepatica, ultimo aeger moritur Atrophicus à solo Scorbuto.

Anxietates ob infecta vitalia viscera.

Dysenteria. Si nempe circa hepar sanies haereat, tum fluit in intestinis.

Paralysis. Veteres hanc descripserunt, ut morbum à mala diathesi in nervos ortum, jam raro hic fit post ingentes dolores in abdomine, tum omnis sanguis totaque ejus massa ex. Scor-

buto est inquinata, hoc vero non curatur cum Antiparalyticis sed Antiscorbuticis.

Contagium celere. Nam videtur esse verum contagium ac Lues Venerea, nam si unum in domo arripiat, statim quoque alias inficit, aegri vero inde mortui valde faetent.

§. 1140. In primo gradu ad ultimum usque morbus est distinctus, ut frigidissimus à calidissimo.

§. 1141. Nautae Indiarum semper coguntur salsa & fumo indurata edere, tum hi homines fere uno die ita fiunt aegroti, ut fere se movere non possint, terrae vero appulsi & ad locum designatum transportati subito curantur per Antiscorbutica, poma Citria, Aurantia &c. quae avide devorant & sic sanantur aliquando.

Crassitie. Nam hominis sanguis constat parte crassa & tenui, hic vero crassum inspissatur, & tenue abit in minima, quia tenuior & tenuior fit, sic & acriorque redditur, hinc apparet hoc crassum esse diluendum, tenue inspissandum & leniendum acre vel temperandum esse vel alcali, vel acidum, vel muriaticam Acrimoniam, sed raro Scorbutus est ab acido hinc in Scorbuto peccant nimis spissum & acre, prius obstructionem, posterius erosionem facit, idque est acre alcalinum vel acidum vel muriaticum; si ab alcalino, cito lethalis est, acidus torminosus & diutius fertur, muriaticus est pessimus & diu tolerandus, hinc praedominans acrimonia est scienda.

§. 1142. Si in sanguine crassities sit & in sero acredo, tum omnia dicta necessario fieri debent, hinc omnia phaenomena sunt examinanda; solae gingivae docent reliqua, an vero nos

nos curare debeamus acidis, hoc videndum est ex morbi historia.

§. 1143. Nunquam magis egregie cognoscitur natura morbi, quam nota curatione perfecta.

§. 1144. Omnes Auctores, qui de Scorbuto scripserunt, ingerunt ea, quæ spissitudinem & stagnationem impediunt, quæ fluiditatem augent, hinc hic multum errare possumus, si nempe acerrimum acre præsens adsit, & nos modo cogitemus de crasso, tum hoc attenuamus, sed & simul acre excitemus, si vero dentur ea, quæ acre compescunt, tum corpus redditur iners.

§. 1145. Tenacitas & acredo nimia est debellanda, spissitudo inducenda, ubi nimia est fluiditas.

§. 1146. Spissum superatur acribus; acre mitigatur inspissantibus, hinc pessimum est semper debellare velle hunc morbum uno medicamento, sed ad acrimoniæ prædominantis naturam advertendum est, & maxime videndum, ubi contraria & contraindicantia sunt ne erretur.

§. 1147. Omnia acria si modo evacuent, non sunt laudanda, qualiacunque sint, hinc à purgantibus nulla cura est exspectanda.

§. 1148. *a.* Ut nempe malignum ex intestinis & ventriculo detergeatur, detur lene purgans ne irritet, attenuans, ut eliminet & corrigat, vide *Materiam Medicam*; hoc purgante forte centenos curavi, nam hæc omnia laxant, attenuant & detergunt, nec interim valide stimulant nec movent.

β. Hæc omnia quæ hic recensentur, æqualiter conveniunt; hi, qui cum navibus nostris redeunt, per fructus Horræos curantur, sic

rat navis, quæ ducentos habebat homines; ex quibus vix decem erant sani ad navem curandam, hi cum nave huc appellentes jure Ovillo & Vitulino & fructibus Horæis sunt curati, hinc videtis, quam male hi agunt, qui acidum non assumendum esse dicunt, ut *Bontekoe*, aliique, qui navibus dederunt, ad præservandum hunc morbum, spiritum quemdam acerrimum & alcalinum, sed ego his dedi Spiritum Salis Marini, quem nonnunquam assumere jussi, ita ut, si aqua non esset bona, tum ab hoc spiritu guttas tres vel quinque instillent, & sic præservantur homines, sic etiam *Glauberus* suadet *in suo Libro Hollands Welvaart* insignito.

γ. In Scorbuto obtundo spissum & acre, non dabo prius formulam, quin sciam alcali & acidum nocens v. g, video hominem vix mobilem, tardum maxime ad negotia colore & fætore Scorbutico, urina fætente, halitu fætido summopere sitientem, tum novi esse Scorbuticum & simul alcalinum; quod docet siccitas, fætor, color, dolorque; hunc morbum curabo Lapatho Acuto, quod lenit, attenuat, deobstruit, purgat. Rhabarbaro simile est medicamentum, quo purgabo leniter, de die dabo Taraxacum, Lactucam, Hieracium, Scorzoneram, Acetosam, Trifolium Acetosum seu Bugalam cum omnibus suis generibus decoctis in sero Lactis, unde breviter curabitur æger.

δ. Si quis Scorbutum contraxerit ex multo piscium usu & inde fætor alcalinus adsit, tum commendabo olera recentia laxa, hinc si sit Scorbutus in primo gradu, hac ratione curatur; Aquæ Spadanæ citissime hos morbos sanant æstu-

æstuante cælo & sicca tempestate; si enim his per sex septimanas cum diæta requisita utantur, tum primus gradus Scorbuti curatur.

§. 1149. Concludo esse in secundo gradu ex sequentibus signis nempe ex halitu fætido, maculis, urina fætidissima, tum indago acrimoniam, nempe an æger carnes salitas & salsamenta ederit, vixerit in locis Scorbuticis; an gingivæ sanguinem exprimant, an saliva sit nimis fætida, aut urina colorata, si hoc ita sit, tum æger laborat Scorbuto muriatico; hinc mitigabo, denique leniter purgabo soli muriatico oppositis ex levi acido, scilicet uvis Corinthiacis decoctis, adde ad finem Tamarindos, dein specificum hic Nasturtium Aquaticum, Trifolium Aquaticum, Fumariam, omnesque herbas Antiscorbuticas, Diureticas, quia muria his optime educitur, fructus recentes ex oleribus decoctis, porro hac ratione adhibeant ægri. Multum hic disputatur an venæ sectio conveniat, puto convenire, si vires constant, sed instituam in finem descriptum hacce paragrapho.

§. 1150. Sæpe curamus Scorbuticos, in quibus plane contraria symptomata, ut erosiones ab alcalino acre acidum do, hinc ubique specificis debello; quæritur, an in hoc secundo gradu Cochlearia non est adhibenda; primo definiendum, an urina putrida, gingivæ rubræ sint, si premantur, sanguinem dent, tum caveas tale dare, ut & omnia aromatica, si vero æger palleat, non sitiat, frigeat, urina sit pallida &c. tum talia Antiscorbutica adhiberi possunt, & tum acida nocent, tamen lac ebutyratum, serum lactis, Acetosa Hepatica, Tamarindos dari possunt.

§. 1151. Hoc vitium plerumque os internum oc-

occupat, gingivæ pereunt & gangraena accedit; hinc saepe hoc ulcus omnia erodendo denudat, ut saepe vidi, incipit cum parvo vulnusculo in gingivis vulgo vocatur belgice (*Waterkanker*) quia hi aegri semper salivant gingivae digito leniter detersae in liquamen seu tabum putridum abeunt, diceres esse mucum, hoc malum veluti cancer est pessimum, non unum solum est medicamentum, quod hoc vitium tollet, laudatur hic Theriaca cum vino, unde vidi pessimum effectum, & spiritus Cochleariae in alcalinis citissime Gangraenam augebit, Mel Rosarum hic laudatur, quod in acidis est pessimum, sed Medicus curet, ut labia deducantur, & si eructent faetidum, cogitet mortem partis à praedominante alcali, hinc tum det succum Citri, Mel Rosarum & Muria salis, unde citissime fricetur pars, & sanatur aeger, aut dragmam unam salis Marini in vini vel aquae putealis unciis sex, unde aeger abluat & perfricet os, brevi curabitur, vidi à Medico antiquo hanc Gangraenam non curatam ab acido austero acerbissimo ortam, cui dedi lixivium ex Calce Viva in aqua dilutum, unde feliciffime curatus fuit aeger; aqua Calcis Vivae in hac specie Scorbuti est summa, in aliis nocet. Si morbus sit calidus, & inde oriatur depastio, tum Mel, succus Limoniorum cum sale & aceto adhiberi potest ad perfricandas gingivas, si laxitas adsit tum tumore gingivarum, tum decoctum florum Balaustticorum, Rosarum, Lapati Acuti cum vino austero adhiberi possunt, si morbus sit frigidus, tum Theriaca sumatur, si haec loco praescripto adhibeantur, tum cura fere certa, nam non scio ullum à me dimissum, quin sit intra septem dies curatus, sed Medici veteres nostrates semper olim sine diferen-

ferentia adhibebant ſpiritum cum Theriaca & Camphora, & ſi vero Gangraena alcaleſcens tum adfuerit, nunquam malum curaverunt, ſed potius auxerunt, hinc tum dicebatur eſſe malum fere incurabile.

§. 1152. Hinc jam vaſa minima ſunt conſideranda, hinc hic à Trifolio Aquatico, Raphano, Naſturtio &c. abſtinendum, nam haec ſunt venena, quia valde ſtimulant & motum augent, hic vero vaſa minima impleta & craſſa; hinc ſi haec moveantur, tum vaſa lacerantur, & rumpuntur; ita grumi vaſorum, & ſanguis craſſus propulſus movetur, ſed male, ſi vero putredo adſit, tum Mel, Saccharum, quibus addantur ſucci Citri & Aurantiorum &c. vel acetum ſi vero malum non cedat, tum paulo fortiora ſunt addenda, ſi ſit aeſtas, tum nil niſi lac Ebutyratum datur, hoc putredini reſiſtit, & in hoc omnes herbae Antiſcorbuticae à bove coctae habentur, deinde datur Oxymel, fructus Horaei cibus & potus ſeu ſit ex Lactuca, Acetoſa, Cichore, Lapatho cum cremore Tartari, unde aeger quavis hora unciam unam aſſumat; id diluet, alcali compeſcet, ſalivam, ſudorem & urinam movebit.

Lenium. Hoc enim minime eſt urgendum; conveniunt decocta ligni Saſſafras, Cichorei, Taraxaci, Graminis, Bardanae &c.

Antiſepticorum. Haec ſunt medicamenta, quae in ſe gerunt tales particulas, quae carnem jam in putredinem vergentem à putredine praeſervant, ejuſmodi dantur tria genera nempe ſal, ſpiritus vini, acida.

Antiſcorbuticorum. Sic in ſero Lactis coquuntur Limonia in taleolas deſciſſa, addatur Mel, vel ſumatur ſuccus Limoniorum, cui affundatur Vinum Rhenanum.

Promotione urinæ. Urinæ promovetur excretio per largum usum Aquarum Spadanarum, hæ aquæ acidulæ sunt optime, quia magna copia dari possunt, nec movent, de hac aqua & effectibus ejus videatur *ab Heers Fons Spadanus.*

Fæces alvinæ. Hic cavendum est à purgantibus, nam tum ægri putrefactum sanguinem dimitterent.

§. 1153. Erat nuper per longos morbos in regione Scorbutica Domina, huic accedit Scorbutus, ut nil moveri posset; Medicus ei dedit parum Rhabarbari, ut purgaret, unde vomuit, & purgata est cum magna animi perturbatione, deinde nil amplius ferre potuit, nec ipsum Vinum Rhenanum, quod aliter sat commode fertur. Hic enim mota materia in quarto gradu hoc efficit, sed ego invento alcali putrefacto & omnibus obstructis acre lenire, movere & evacuare studui, ne tum obstupeatur alvus, curavi tamen, ne rumpatur hepar; nam in his ægris hepar adeo est putrefactum, ut si modo digito attingatur statim diffluat, si tum febris accedat seu aliquid excitans, stimulans seu movens tum hepar rumpitur, hi ergo ægri sunt gubernandi, ut in quarta specie Melancholiæ, de atra bile dixi, victus sit jus carnium cum succo citri, limonii, quod est gratissimum nutrimentum; si æger horum pertæsus sit, tum detur aqua Hordei cum parum Vini Rhenani cum succo Citri; hic nonnulli dant Mercurium, an hoc etiam auderem? non nisi parva copia detur cum demulcentibus, tum non ita contradicerem, sed tamen si materia non ita sit disposita, ut exire possit, tum sæpe nocet; hinc potius abstinerem; Mercurius hic quoque ptyalismum facit, hi enim ægri ad scrupulum semis majorem salivationem accipiunt, quam alii à dragmis quatuor. *Willisius* hoc remedium in hisce

ca-

casibus maxime commendat, sed paucis omnia tumefacta vidi, hic Auctor & alii, qui hoc tantum laudant, regulam dedisse debuissent, nempe non exesis vel corruptis visceribus, nam si viscera sint exesa, tum vires deficiunt & ægri in curatione moriuntur, sequuntur corollaria seu quæsita ex data doctrina elucidanda.

Ex quibus &c. Historiam, curationem, morbi phænomena & cadaverum incisiones, si accurate speculemur, patet, quod ars consistat in cognoscenda primo natura acris prædominantis, secundo viscidi obstruentis, ex quibus notis reliqua facile patent; hinc hoc maximum est arcanum, ut videam in his, quænam Acrimonia peccat, an sal, an oleum, an terra vel quatenus crassa Acrimonia, an crassa mucosa seu inflammatoria, hujus vero certa signa dedi, & si hæc probe cognoscatur, tum optima & certa medicamenta præscribi possunt.

Salina Muriatica, quæ in classiariis fit curatur ope lixivii ex calce viva sumo libram Calcis vivæ, infundo huic ℔xij aquæ, percoletum ut aqua pura fit, hujus vi tantum imprægnata, addo unciam unam, aut alteram syrupi Violarum pro colore, & pro sapore unam aut alteram Cinnamoni olei guttam, hoc medicamentum multos nostros Indiarum nautas curavit: in Galliis autem pessime cessit ejus usus.

Rancida est cum siti indomabili.

Serum. Habui nobilissimos curandos, qui indecorum putabant, quod ipsis præscriberem serum Lactis vel Lac Ebutyratum singulo tempore matutino ad pintam unam, sed postea cum viderint ejus effectum, hæc maxime laudaverunt, nam non novi acidum blandius, nam est æque ac decoctum omnium herbarum à bove jam subactarum, æque Diureticum simul, & omnes sales Scorbuticos &

mu-

muriaticos alcalinos tollit, & ſerum per urinam rapitur, hoc vero in caſu frigido non convenit, ſed ubi putridum & rancidum peccat, vidi ægros hoc remedio ſanatos, licet eorum os peſſimis ulceribus diffflueret, & corpus maculis violaceis plenum eſſet cauſa erat alcalina, & urina fætida, rubra, hac ratione curantur hi ægri, vide *Hermannum van der Heyden*, in Praxi famigeratiſſimum, qui ad potandum dabat pro ſuo arcano aquam medicatam quatuor fontium Spadanorum, in quibus diſſolutum eſt ferrum in uno plus acidi, in altero minus, hinc in alcali prædominante conducit omni mane has aquas, ſed in alia ſpecie non; aquæ Spadanæ acidulo gratiſſimo metallo plenæ & acidulo ſapore grato putredinem domant, abluunt, & avellunt.

Cur acidi; novimus iterum ex hiſtoria Patriæ noſtræ, ſi nautæ claſſiarii in Indias euntes incidunt in Scorbutum alcalinum fætidiſſimum ab aqua putrida verminoſa & æſtu; ſi exponantur in terram, poſſuntque acquirere Acetoſa, Citrea, Limonea ſtatim reſtituuntur, id in alcalinis verum eſt, non ubi acidum prædominatur. Si haberent in nave phialam cum drachmis pluribus ſpiritus Vitrioli, vel ſpiritus ſulphuris, ut aquam a putredine præſervarent inſtillando repetitis vicibus paucas guttas, tunc nautæ non ita frequenter inciderent in hunc morbum.

Cur adſtringentia. Si nimia ſit laxitas vaſorum & diſpoſitio ad Hydropem, tum optime conveniunt.


Cur aromata. Si pituita lenta, vitrea, & iners prædominat. & hæc ſanguini affundunt ſalem, qui aliter per naturam & ubi eſt ſummum; hinc omnes illæ herbæ conveniunt in Scorbuto ab acido.

Cur quod uni ſalutare &c. Quia ſunt morbi plane contrarii, & hinc plurimi nomine decepti ægris plane contraria præſcripſerunt; vidimus à data in-

tem-

tempestive Cochlearia Hæmorrhagias lethales, scilicet nocet, ubi alcali prædominatur, sed si Scorbutus sit ab acido, tum curat.

Cur ergo non. Quidquid dicit *Galenus*, aliique, qui bene notificarunt morbum, non curari posse ab ignoto Medico, vani sunt, & melius esse hunc morbum non unum nomen habere, quam tantam in eo diversitatem; si modo videam alcali prædominare, videbo statim requiri diluentia & acida. Hic semper gradus Scorbuti est observandus, & quale acre prædominetur, & si hoc cognoscatur, tum juxta nostram doctrinam certissime curatur hic morbus.



Cachexia.

§. 1154. Vox oritur à Græco verbo ἕξις *habitus* & κακὸς *malus* igitur significat malum habitum totius corporis; multa inter Medicos de Cachexia scripta sunt, quilibet aliam definitionem dat, ego aliam non video, quam *corporis dispositionem, qua id ineptum redditur, ut nutriatur*, id vero fit à depravatione in solidis; hinc nutritio hic deficit, quia ejus requisita deficiunt, quæ sunt coctio, delatio & applicatio.

§. 1155. Ut nutritio optime fiat, tria requiruntur, primo humor; qui nutrire possit, secundo vasa admittentia & mutantia ad nutritionem, tertia vis, quæ applicat, si in aliquo harum vel pluribus simul sit aliquis defectus oritur Cachexia.

§. 1156. Cacochymia est talis degeneratio humorum, ut nutritio non bene fieri possit tum & reliquæ functiones non sunt bonæ, nam nutritio est ultima actio. Cachexia ab ineptis humo-

humoribus ad nutriendum oritur, primo si corpora assumpta habeant tantam obstinationem & constantiam, ut à corpore nostro mutari nequeant talia; qui hæc ingessit diu, sensim fiet Cachecticus, hinc qui crudas fabas multum edit, brevi totus fiet Cachecticus; secundo omne animal bonum cibum accipiens & quietum pinguescit, omnia fere assumpta fient olea, pinguedo non movetur, non nutrit, ut sues biennio non vivunt, si abunde saginentur, quia vasa comprimuntur; tertio requiruntur vires mutantes, quæ si desinant, bonus succus abit in Cachecticum ut in infante, qui dentes non habet, nec reliqua viscera subigentia satis fortia.

Leguminosi. Nam si plus ingrederetur in venas, tum non nutriret sed interficeret.

2. Qui optime capit alimenta & se plane non movet, ille non digerit, nam labor esse debet, ut cibus, cibus ut labor, Teste *Hippocrate*, nam si cibus quoque non satis fortis sit ad laborem, tum homo deficit.

Robur. Si robustus vescatur sola carne aut jure carnium non nutrit, unde fit Cachecticus.

Liquida, Immedicabilia tam acria, ut à nostris viribus domari nequeant.

Vomitus. Causa hujus morbi est nimia secretio, si cui nimis per vomitum abluat bilis, succus pancreaticus, ut per Diarrhæam, Dysenteriam diu durantem, desuescit corpus nutrire dicit *Hippocrates*, aut & nimia liquida retenta causam præbent.

Hæmorrhagiæ. Nam abundantia humoris boni jam corpori assimulati maximam partem coctionis absolvit illoque deficiente; licet homo

mo omnia nutrimenta assumat, repletur quidem sed inde non nutritur quod distinguendum est.

Retentio. Quia coctio per prædominium humoris boni præexistentis fieri debet, si non adsit, tum coctio non peragitur, si v. g. hepar exulceratum sit, tum bilis deficit, & prima coctio non fit, hinc etiam quoque sequentes non fiunt, hinc corpus minuitur & in nil abit, ut in Atrophiam, extenuationem marasmum, vel Tabem siccam, vel ut materia non bona oppleatur, ut in Cacochymia, repletione atra bilis putridæ & aquæ Hydropicæ ut in Anasarca &c. Sic v. g. à Scirrho hepatis homo sic tabescit, ut modo sit hominis imago, ut etiam ab eodem quoque Scirrho abdomen ab aqua Hydropica tumere potest.

§. 1157. Hinc omnis Cachexia dividitur vel in nimiam extenuationem vel incrassationem, à priori tabes, marasmus vel consumptio fit, quia nutrimentum non manet in vasis, sed erit à nimio excessu, tum vocatur Leucophlegmatia, aut si sub cute Hyposarca, sed potius male dicitur Anasarca, id est, supra musculos.

§. 1158. *Pallor.* Cacochymia aquosa semper notat acidum & frigidum prædominare.

Flavedo notat bilem non posse in intestinis ire, sed redire in sanguinem.

Lividitas. Tum materiæ atrabilariæ pars terrestris aut viscida in sanguine hæret, æque Cacochymiæ species.

Rubedo fit, quia per vasa minima transeunt liquida sanguinea, & sic transparent.

Viror notat bilem atram.

Nigredo bilem atram pejorem.

Fuscus biliosam Cachexiam notat, quæ non tam maligna ut in Scorbuto est.

Tumor

Tumor sub oculis nullus locus est tenerior mobilior & corpori flatulentior quam in quo oculus ponitur mobilissimus, hinc vasculis tenerrimis & mobilioribus instructus, hinc illi vesicarii tumores hic primo apparent, & si hi tollantur, signum est Cachexiam curari.

Oedema est tumor albus frigidus, vestigia impressi corporis retinens, quasi ab inflammatione, tum dicitur Erysipelas Phlegmonodes, si ab aqua tum Leucophlegmatia, hinc partes pallescunt, & tument.

Palpitationes. Nam omnes Cacochymici & Cachectici si quiescant, tum sani videntur, sed si moveant, tum arteriæ carotides fortissime pulsant, hoc fit, quia sanguis in venis musculis impositis stagnans per motum musculorum ad cor promovetur; hinc cor plus sanguinis accipit, & inde plus contrahitur, tandemque obruitur, & sic hic palpitatio, primo ab interpulsu sanguinis in cor, secundo à resistentia in arteriis, & tertio à minori explicabilitate arteriarum.

§. 1159. Si omnia reliqua bona sint, sed vasa tantummodo nimis contractilia faciunt Cachexiam, dum contrahuntur & exsiccantur, ut in senibus; aut nimium laxantur, unde duplo plus continent, duplo minus movent, ampliora fiunt, duplo minus se contrahunt, quadruplo copiosius liquidum nascitur vasis, hinc si tumor corporis oriatur, plerumque fit Cachexia, hinc videmus sanissimos posse fieri Cachecticos seu Hydropicos, si immittantur homines balneo calido singulis diebus, & nil assumant nisi lac, sic accipiunt Hydropem, si vero nimis dura capiant, tum siccitate laborant.

§. 1160. *Languidæ.* Tum enim non bona fit applicatio ad partes.

Violenta. Tum oritur destructio.

§. 1161. Cognoscitur, si corpus in omnibus partibus nimis magnum excrescens, vel decrescens attenuatum, primo apparet, quasi humores & vasa essent inepta, hinc vix datur ad bonum habitum regressus; si quis in omni habitu sit exsiccatus, vix curabitur, si totus aquosus, etiam; hinc in initio curatio auspicanda est.

§. 1162. Nam quum causas horum jam enarravi, tum tot dissolutionis & inspissationis remedia annotavi, dixi vero sæpe in Nosocomio quod omnium morborum Chronicorum & Hydropis causam putem plerumque fieri à nimia humorum acutorum dissolutione, vel puta causam esse inspissationem seu inflammationem; hinc cura lactis & aquæ tepidæ summa sunt remedia.

Diversitate. Nam qui Cachexiam curare vult, ille debet omnes degenerationes emendare posse, omniaque viscera male affecta corrigere, hinc hic nullam universalem curam dare audemus si non possumus.

Utendi. Verissimum est in omni Cachexia causam inveniri posse, ut si Literatus sexagenarius sit sedens; somnolentus, tumidus, pultaceus, frigidus ad minimum motum palpitans, morbosus factus est, quia se non movet, & nutrimentum vires superans non abiit in sanguinem, sed mutatum est in ichorem seu mucum rejectum extra circulum, vasa lateralia oppleta; sanguis compressus sensim accumulabitur, stagnabit, minuetur liquor vitalis, ut fere ultimo lethargicus fiat æger; potes evacuare, non movere sudore expelli nequit, quia nec determinata tenuitas, non purgare potes, quia sic

extrema non evacuantur, roborare nequis, nam vasa se contrahere non possunt, tum aliqua curatio superest, hinc observo, an sit nimia consumptio, vel aggestio, si à nimia contractione consumptio fiat, tum lac, serum, fomenta juvant ut balnea, per quæ curatur omnis Phthisis, Atrophia, si nimis sit acre & humores tenues, tum longe alia requiritur cura. Si acredo adsit alcalina, assumant ægri quotidie adstringentia acida, Pruna immatura, Tamarindi, Granata, mala Cydonia panem bis coctum, hinc semper acidis & austeris hi morbi curantur.

§. 1163. Si humores non bene sani sint, tum maxime curandum est diætæ, nam hic ad diætam ingerendorum plus quam ad medicamenta mutantia, est advertendum; si v. g. humores tenues, tum quæritur, an habemus medicamentum inspissans, quod non invenire poteris, ergo hoc diætæ est committendum, & imprimis hic diæta causæ vel acrimoniæ peccanti debet esse opposita.

Causæ. Si quis Cachexia ex labefactato pulmone laboret, nam pulmo omnem viscididatem chyli tollere debet, hinc si tum difficilia coctu in secundis viis dentur, tum puimo viscido magis obruitur, & hinc magis corrumpitur.

Grata. Ne nimis cito abhorreant, & cibi pertæsi fiant.

§. 1164. *Condimentis*. Quæ sunt sales & aromata, ut Cæpæ, Allia, vinum medicatum tenue Centaurii minoris, Absynthii, aut si abhorreant Hippocraticum.

§. 1165. Sæpe magna saburra ex primis viis est expurganda, hinc do vomitorium ex Antimonio

monio (si modo viscera fortia, nec rupta nec male affecta) licet objiciat schola Parisina, nam si bene administretur non vidi nocuisse, do prius unciam unam vini Absynthii cum pauxillo sacchari, hac ratione inciditur materia, deinde vinum Emeticum, postea æger assumat aquam tepidam cum Carduo Benedicto, hoc ebibito expellatur saburra, sed claudant nares, post vomitum iterum bibant aquam tepidam, idque tamdiu continuetur, donec aqua retineatur, hac ratione omnis pituita ejicitur.

Purgante. Hoc non tam bonum est ac vomitorium, nam nullum purgans est cognitum, quod bilem flavam sic purgare potest, ut à vomitoriis fit.

Roborante. Si calidum peccet, dentur subaustera, tum Miva Cidoniorum, succus Citri &c. contra si frigidum, detur Absynthium, Gentiana &c.

§. 1166. Si videam primas vias exoneratas, curabo, ne novi cibi similem iterum materiam creënt, quæ optima sunt vina medicata, cerevisia, vel Cochlearia Nasturtio vel Raphano fermentata, vinum, cum radice Helenii coctum, saccharo edulcoratum, quod satis est gratum. Vomitoria & purgantia modo primas vias non vero sanguinem purgant, nisi cum multa copia assumantur, ut totus sanguis liquescat, ut in cura Luis Venereæ fit, sed hoc faciunt Sudorifera, Diuretica.

§. 1167. Scio, quod si æger eo usus sit, subito restitutus erit, unde aliquando incidet in eadem mala, nam vasa sunt flaccida, quæ sunt roboranda, omnia Chalybeata, cortices Tamarisci & Peruviani; & fumi aromatum in vesti-

bus sunt primaria; hinc si morbus a laxitate, & hæc dicta præmissa sint, tum Chalybeata adhibenda sunt, aliter hæc obstructiones faciunt, si vero ægri per tres dies vomuerint, & interim à potu se abstinuerint, tum hæc Chalybeata dari possunt; pro vero purgante uti possumus pilulis Ruffi, Cochlearia, Trochiscis Alhandal, vel pulvere Colocynthidis cum Mercurio, & tum tertio die damus aromata, Absynthium, Centaurium, Carduum Benedictum & similia amara, & sic interim cavendo aquosa, hac ratione ægri curentur, verum si recidivam metuamus, tum dentur Chalybeata ex vino, si vero Cachexia biliosa, tum humectantia & demulcentia saponacea, mellitaque, ut Oxymel, Saponem Venetum &c. dare debemus.

§. 1168. V. g. homo per multos menses in mari vectus nil nisi salita, & potum aquæ fere putrefactæ seu salitæ accepit, toto corpore dolet, febre Hectica laborat & consumitur, hic ergo habetur causa morbi prægressa, hinc victus Tabi contrarius est dandus. Fateor hic locus quodammodo obscurus manet, sed in omnibus notatis bene quædam est certitudo, nam si v. g. homo Phthisi laboret, & interim pulmo est corruptus, tum desperata res est, si non, tum est attendendum, an sit cum calore, siccitate, siti; an calor post pastum augeatur, & si hæc ita sint, tum video facile, qualis adsit diathesis, nempe nimia vasorum contractilitas, hinc humectantia, diluentia &c. prosunt.


§. 1169. Hic ergo cognoscimus causam, symptomata &c. ergo patet, quod Cachexia sit vitium humoris ortum ab his salsamentis assumptis, tum cognoscitur, quod illa Cachexia

vel cacochymia salina diluitur, aqua & acidi parum addi potest; v. g. vini Rhenani, cibus hic sit liquidus, jura carnium cum herbis Diureticis, hæc facile sales expediunt, hoc etiam fit per fructus Horæos; his itaque cum bono successu peractis, si æger curetur, ut ab his semper fieri solet, tunc vasa sunt nimis laxa, hinc utatur vino Chalybeato, motu corporis, aliisque similibus remediis.

2. Videmus in Institutionibus acrimonias in nobis natas redigi posse in quasdam classes, scilicet in acrimoniam alcalinam, oleosam, aromaticam, terrestrem, salinam vel acidam, vel muriaticam, pinguedinosam, vel biliosam, vel medullosam, quæ pessima est, nec ægris plus est salutare quam scire, quid & quale acre peccat, ut Medicus hoc corrigat vel evacuet.

3. Symptomata morborum mitigando.

§. 1170. Ubi singularia illa acria sunt cognita semper contrariis suis tolluntur. Consulantur capitula de quibuslibet acrimoniis.



Empyema.

§. 1171. Empyema est vox generalis, sed pro speciali sumitur, in Galliis accipitur pro ipsa thoracis perforatione ad extrahendum pus, verum homo Empyicus proprie dictus est homo purulentus. Empyema ab ἐν *intus* & πύον *pus* derivatum hinc ἐμπυικοὶ *suppurati* vel *purulenti*, in genere denotat puris in aliqua corporis parte præsentiam; in specie vero intra pulmonem & pleu-

ram in cava thoracis collectionem. Collectio puris in cava thoracis est duplex, vel inter pleuram & pulmonem vel inter duplicaturam mediastini; id observaverunt Antiquitas & Anatome.

§. 1172. Hoc clarissimum est, nullum pus in thorace delabitur, quin fuerit Vomica, quæ est collectio vel rupta vel exesa sed tecta. Vomica dicitur tuber pure repletum, & sic nunquam fit empyema, quin tuber rupuerit.

§. 1173. 1. Ut morbus pulmonis, seu fit ab inflammatione prægressa seu subsecuta suppuratione seu à materia a cibis & potu sensim aggesta & sic dein rupta seu à rupto pulmone ab Hæmorrhagia seu Hæmoptoë; hinc de his Actum est in *Capite de Peripneumonia.* Nempe hic morbus oritur à sputo sanguineo male curato, sive sit ab inflammatione sive à ruptione vasorum, unde postea pus collectum cadit in cavum thoracis, vel si nimis crassa venis ingerantur aut sanguinis nimio motu inspissatio ad pulmones non transit, sed stagnat, ibi accumulatur & inflammationem & suppurationem producit.

2. Dein à pleura fit ut à Pleuritide seu à vulnere externo eo usque penetrato, ut ad Pleuram accesserit, sed tamen non penetravit in cavum thoracis, sed si tum hoc vulnus nimis cito claudetur, tum ibi pus aggregatur & sic Empyema fieri potest.

3. Dictum est *in Capite de Paraphrenitide.*

4. Hæc membrana est Epichondrium, dum sternum vestit assurgens ibi utrumque in medio mediastinum format, quod si inflammationem ut Pleura suscepit, Vomica ejus in cavum mediastini hærere potest; denique hæc membrana æque

æque vasis est instructa ac pleura, hinc æque potest inflammari & suppurari ac pleura.

5. Si ibi inflammatio abeat in suppurationem, tum rumpitur Abscessus in cavum pericardii seu in lamellam mediastini, vel in cavum thoracis.

§. 1174. Morbus futurus cognoscitur ex partium ante enumeratarum inflammationibus prægressis, neque natura neque arte depuratis; uti *Hippocrates* dicit *quicunque vero dolores ex his locis neque per sputorum expurgationes neque per alvi dejectionem neque per venæ sectiones & victus rationes & purgationes sedantur, eos suppurationem concitaturos esse sciendum est. Qui autem Peripneumonici, diebus criticis non expurgati sunt, sed eos cum delirio exegerunt; tandem exactis quatuordecim morbi diebus periculum est, ne purulenti fiant.* Ex horrore vago *Hippocrates ait, qui perhorrescunt crebro, ad suppurationem deveniunt, quin etiam talium febris ipsos ad suppurationem ducit.* Ex febricula noctu gravi, quia noctu frequentior calescendi & humescendi vicissitudo exhalationibus non tam liberum exitum habentibus, quam interdiu, quo pori magis sunt aperti, quæ nativo calori maxime est consocialis; noctu vero pori magis sunt constricti. Dein ex calore vago & gravitate, loco doloris; pure enim accumulato, pondus augetur. Ex Dyspnæa, quia pus locum, quo colligitur, distendit, pulmonis dilatationem prohibet, pulmonem functionis, ut par est, exercendæ impotem reddit, hinc molesta sequitur respiratio, ut *Hippocrates* dicit; præterea vero & dolorem & Dyspnæam & sputationem ante puris eruptionem, oboriri necesse est, hinc appetitus prostratus; expansione enim

pulmoni denegata diaphragma munera obire nequit, ventriculus adeoque non comprimitur, ergo cibi non satis concoquuntur, digeruntur, crudi manent. Ex siti majori desinente; minor enim humoris in vasis copia effluxit; ergo tardior circulatio, adeoque mitior febris, minor ergo liquidorum secretio, excepta sudoris, quam, licet nullius usus sequi aliquando monet *Hippocrates. Quæ à suppurato febres quiescunt, sudatiunculam multa habent.* Vomica jam rupta pro tempore hæc symptomata quiescere videntur; resolutio enim morbi est: verum brevi post de novo oboriuntur, unde innumera mala, ex quibus Empyema præsens pro certo cognoscitur: effectusque lethales inde oriundos prævidemus.

§. 1175. Scimus ergo morbum præsentem esse, si consideremus tempus, quo inflammatio in alicujus parte thoracis incepta sit. Videmus enim per experientiam, naturam puris destillationum talem esse, ut viginti dierum spatium exigant ad fermentescendum. Sic enim *Hippocrates* scribit. *Quibus initio dolor est fixus & contumax, unaque difficilis respiratio & tussis cum ptyalismo, ad vigesimum diem, stillatitiones in ventrem supernum in viginti diebus suppurantur.*

2. Ex humoribus derepente disparentibus, ut patet ex *Hippocrate. Quibus humores &c. apparent &c. his autem derepente disparentibus &c. iis in antica parte lateris dolores aut suppurati* (id est Empyema) *accidunt.*

3. Ex novo dolore, novæ partes afficiuntur, harumque fibræ præ gravitate distenduntur, vellicantur. Ex Dyspnæa cognoscitur accumulatio in cavo thoracis facta, pulmonis extensionem impedit,

dit; præ dolore prohibet. Ex appetitu proſtrato: *Hippocrates* dicit. *Quibus à dolore lateris collapſa ſit appetentia cum Cardialgia &c. iis Empyemata ſunt in pulmone.*

Ex tuſſi ſicca, acris materia fibras nerveas hinc vellicat, conatus adeſt tuſſiendi, licet nihil effatu dignum exſpuatur. Ex fluctuatione materiæ, quæ hinc inde minimo motu pellitur. Ex decubitu in uno latere æger in latere affecto facilius incumbit, quam in ſano, quia à mediaſtino pulmo magis comprimitur, hinc difficilius extenditur, ergo magis difficilis reſpiratio. Ex ſtrepitu puris ad motum, ob acredinem humorum, corpora enim partibus ſolidis conſtantia, ad ſe invicem concuſſa, quo rigidiora, eo majorem ſonum edunt. Ex febre lenta mitiori, putrido-hectica dicta Pus enim concoctum ſatis adhuc fluxile ſanguini admiſcetur, continuo ergo pure in vaſa ſanguinis lente exſudante Hecticæ febris cauſam facit. Ex genis rubentibus. Invaleſcente enim morbo pulmo à pure magis comprimitur, ſanguis influere non poteſt, ſubſiſtit in ramis venæ cavæ ad faciem, unde ejus partes rubeſcunt. Ex oculis cavis. Quod ſignum eſt morbum vergere ad tabem, & quum oculis duris & immobilibus terminis circumſcribuntur, decrementum hoc in iis partibus erit magis obſervabile. Ex digitis in extremitate calidis & lividis. Quia partes ſolidæ afficiuntur, humidæ abundant, quod omnibus Hectica laborantibus familiare. Ex unguibus recurvis, propter deficientem nutritionem, partes enim carnoſæ abſumuntur, hinc ungues nudæ apparentes incurvari videntur. Ex abdominis tumore: diaphragma præ pondere & gravitate puris preſ-

ſum comprimit viſcera ſubjacentia, iisque compreſſis abdomen extenditur. Ex tumore pedum crura tabeſcunt, pedes vero tument interdum ex debili ſanguinis circulo ſerum non propellente. Ex puſtulis totum pectus imprimis latus affectum perreptantibus. Pus enim intus putridum, acre factum, in ſubtiliſſimas particulas diſſolutum, per membranas tranſudans, in unum vel plures maſſulas colligitur.

§. 1176. Effectus hinc nati, quum fere omnes periculo pleni ſunt, difficillimam quoque Prognoſin conſtituunt, ancipitemque eventum portendunt.

1. Puris enim continua accumulatio Dyſpnæam adauget, ita ut ægri ſe ſuffocaturos brevi putent.

2. Pus in loco clauſo, calido, humido diu retentum acre fit, corroſivum, fermenteſcit, attenuatur, fætet, vaſa rodit, dilacerat, unde immanes dolores: per pulmonis viam quærit, ſoluta continuitate ſputum excernitur, purulentum fætidum.

3. Partium in thorace contentarum fit maceratio, corroſio, in Tabem fluidam conſumptio, quæ cauſa febris Hecticæ in propriis ſignis haud difficulter cognoſcendæ.

Diaphragmatis &c. Quia magna puris copia ibi incumbit, hincque deorſum premitur & pectus non comprimi poteſt, & proin aër non exprimi, hinc reſpirationis difficultas.

4. Idem eſt ac cor, pulmones &c. in tepore calido in pure macerentur, & coquerentur, ſic tractavi pulmonem hominis demortui manibus meis, qui penitus diffluebat attactu; hinc ex his Tabes oritur.

5. Si

5. Si humor acer, putridus, fœtidus, oleosus sanguini communicetur, ichor totum sanguinem facit acrem, unde ineptus fit ad nutritionem & secretionem, hinc Tabes & Atrophia læsa, primo quia acre pus semper communicatur corpori, secundo quia in novum nutrimentum cum sanguine allatum convertitur. Maxime hic sunt observanda labia splendidissima & corallino fulgure nitentia.

Fluor saniosus. Tum pus seu ichor in vasis retrogradis pulmonum fluens ad alia vasa determinatur & per alvum deponitur; hinc totus sanguis ichorosus factus est, rodit omnia minima corporis vasa non modo pulmones, sed & hepatis, lienis &c. Materia acris non retinetur, sed erodit omnia, unde tandem Diarrhæa purulenta, Colliquativa.

§. 1177. Hoc sine explicatione intelligitur.

§. 1178. De his omnibus actum est in historia Pleuritidis, demonstravi primariam scientiam esse noscere Pleuritidem abeuntem in apostema, quo loco hæreat, quomodo pus educendum, vide *Caput de Pleuritide, de Abscessu pulmonum, de Peripneumonia.*

Igne. Ut aduretur usque ad locum, ubi pus hæret.

Ferro. Hujus acus adigatur usque ad cavum, ubi pus hæret, & sic reducatur extrorsum medicamentis; si nempe laxantissimis & emollientissimis medicamentis externe, ubi scio tuber hærere, sic macero & facio, ut pus non introrsum sed extrorsum erumpat; quod fieri aliquando videmus, si haud nimis profunde versus pleuram hæreat apostema (loquor enim hic de Vomica pleuræ) hunc in finem lateri affecto cognito si applices cataplasma sup-

puratorium ex Malva, Althæa cum melle vel fimo Columbino, aut ſimili compoſitum: donec locus fiat tam tenuis & mollis, ut fere emortuus videatur, apoſtemaque ſic extrorſum pellatur & vergat. Si vero hoc factum ſit poſt biduum vel triduum, nec tuber aſſurgat, locus inuratur, vel ſcalpello incidatur, vulnusque medicamentis corroſivis apertum teneatur, profundiusque reddatur, vulnus ne cito curetur, niſi pus omnino emanaverit; a pure optimo depuratum curatur ut vulnus ſimplex.

§. 1179. Si hoc videam, tum mihi pulmo intus eſt laxandus, expectoratio promovenda dando ipſi mel cum aqua & paululum ſalis; hoc facile eſt intellectu, ſi Vomica in pulmone rupta ſit; verum ſi ex membrana pleuræ aliisque pus in cavum thoracis emanaverit, in conjecturis nonnullorum nuto, pus niſi pulmone in aliqua parte à continui ſolutione per os educi poſſe, putans, ut ergo pus per os promoveatur, requiruntur expectorantia medicamenta dicta, quaſi materiam ex pectore per os educentia: quod triplici modo agunt 1. Vias lubricando, ut materies juxta vias quaſi levigatas prompte profluat. 2. Titillando, irritatione fibrarum tuſſis ut excitetur, & ſic materies propellatur. 3. Utrumque ſimul agendo vias lubricant omnia aquoſa, oleoſa, viſcida, ut ſuffimigia humida ex aqua ſimplici, vel lacte dulci, veſperi & mane & ad $\frac{1}{2}$ horam adhibenda; oleum Lini, Amygdalarum Dulcium recenter expreſſum, Sperma Ceti, ſemina quatuor frigida majora, Bombacis &c: quæ inſtar linctus in ore detineri vel in forma emulſionum hauriri poſſunt, his adde mucilaginoſa in formam decocti præſcribenda v. g. decocta Hordei,

dei, Avenæ, Paſſulæ, Malvæ, Althææ, Tragacanthi, ſyrupus Jujubinus, Althææ, ſpecies Diatragacanthi, Terebinthina &c. titillantia ſive potius tuſſim excitantia eo meliora ſunt, ſi exſiccent & ſimul alcaleſcentiam corrigant; Inter talia medicamenta nullum præſtantius eſt, quam radices Ireos, Ari, Angelicæ &c. huic annumerentur omnia ſaponacea; ut Sapo Venetus, gummi & reſina, titillantia ſimul & lubricantia ſunt, mel, ſaccharum, Glycyrrhiza, ſemina Aniſi, Fœniculi, radices Helenii, Ireos Florentinæ, Scabioſæ, Tuſſilaginis, & ſimilia, ex quibus varia compoſita, formulæque præſcribi poſſunt.

β. Si in ea appareant puris evacuati veſtigia; tunc Bechicis leviſſima Diuretica addenda ſunt, deinde ponatur æger in balneum, dein Clyſma eſt injiciendum ex decocto herbarum Diureticarum, ut decocti Bardanæ, Virgæ Aureæ &c. & hæc quoque aſſumi poſſunt, & ſic tamen omnium optime eſt ſyrupus quinque radicum aperientium.

γ. Si æger ſpuere non incipiat, neque in urina vel fæcibus quid purulenti appareat, tum quarta; quinta, vel ſexta die pectus eſt aperiendum, ſi vires ægri permittant; aëris vero hic ingreſſus eſt cavendus, quod fit, ſi aperiatur, & pus ſenſim repetitis vicibus educitur, & tum injiciatur mulſa, tum aër ingreditur, hinc ſi non iterum exprimatur, & ita emplaſtrum modo imponitur, tum oriuntur Emphyſemata, ab rareſcente aëre elevatur cellulosa membrana, & fit communicatio cum aëre externo, quod peſſimum eſt, hinc antequam emplaſtrum imponatur, æger jubendus, ut profunde inſpiret, & aërem retineat, quantum

possit, si vero non magis possit, tussiat, & in hac actione foramen aperiatur, postea antequam inspiret claudatur. Diuretica hic quoque dari possunt, nam sunt medicamenta indeterminata, fieri enim possunt sudorifera ut perspirationem augentia, hinc haec optime hic conveniunt. Ut Paracentesis rite instituatur; necesse est, ut inquiramus, in qua thoracis parte Vomica rupta sit, quod haud melius scire possumus, quam ex praescripto *Hippocratis*, qui inquit, *si vero sputatio fuerit in altero latere solum & vertere & condiscere oportet in his, num aliquem habeat dolorem in altero latere, & an alterum altero sit calidius: & aegro in latus sanum decumbente interrogare ipsum, si quod ei pondus desuper impendere videatur: si enim hoc fuerit, in altero latere suppuratio est, in quo pondus adfuerit.* Hocce cognito apertura instituatur ope instrumenti idonei, in latere affecto inter costam quintam, vel sextam vel quartam & quintam ab inferioribus numero ducto, pure lente & per vices educto, ut subitae mortis periculum praecaveatur; fons pus stillans tollitur duplici modo, applicatione scilicet medicamentorum tam interne quam externe per aperturam, partem suppuratam eluendo medicamentis diluentibus & abstergentibus simul; (ut simplici aqua vel aqua Hordei, vel Calcis cum pauxillo Mellis Rosacei permixta) ope syringae alteriusve instrumenti immittendis; dein partes exulceratas consolidando, decoctis scilicet vulnerariis, simili modo injectis, quae confici possunt ex radicibus Consolidae majoris Tormentillae, foliis & herbis Artemisiae, Rutae, Plantaginis, Scabiosae, Hederae Terrestris, similibusque, apertura in thorace

facta,

facta, demum curetur, ut vulnus simplex, modo caveamus, ne turunda, si adhibuerimus, in cavitatem thoracis premente aëre urgeatur, quod, filo, si ligetur praecaveri potest. Bechica in hoc casu cum lenibus Eccoproticis medicamentis commixta sunt optima, uti Manna, Cassia, imo & Terebintina, quod leve purgans medicamentum quoque est.

Uno impetu &c. Ratio est, quia pulmo haeret in quodam cavo, cujus cavi $\frac{1}{3}$ partem pulmo occupare ab una parte ponatur; jam vero à pure thorax partim distentum, partim pulmo in minus spatium redactum, nam undequaque pus eum accumbit, & ita quantum aër premit, tantum retropremit, si ergo huic locus evacuetur, tum & hoc sustentaculo privatus se non satis expandere potest, ad Diaetam quod attinet, aër sit moderatus, cibi facilis digestionis, ex juniorum animalium succulentis carnibus, jusculis ex Hordeo, Avena, lacte & lacticiniis, quae hic primum locum tenent, motus & quies ne excessu peccent, excreta & retenta modum servent, animi pathemata moderata.

§. 1180. Tale pus sanari potest, si operatio tentetur, aliter si aperiatur pectus certo omnes moriuntur, sed si haec appareant & sanguis non sit infectus materia purulenta, tum tentanda est operatio, nam si pus sanguini sit mistum & pulmo affectus, tum operatio erit inutilis, nam plerumque aegri inde moriuntur; hinc pus album, aequale non faetens; quovis die parum eductum est bonum, si non amplius affluat, fiant injectiones ex aqua, melle, sale marino, spiritibus simul permistis, injiciatur, ex his magna copia, unde ægri tussiant,

moveant, suspirent & premant abdomen; hinc injectum se puri alii ubi hærenti miscebit, quod expectoratione ejicitur; vide de his *Caput de Vulneribus Thoracis.*

§. 1181. Quia pus tum fluit in latus sanum; hinc pulmo uterque premitur & oppletur, unde homo suffocatur.

§. 1182. Quia pulmo adhuc sustentabatur à pure, hinc aegri nonnunquam cito exstinguuntur.



Phthisis Pulmonalis.

§. 1183. φθιω Graece significat *corrumpo* vel *putrefacio*, hinc Phthisis est corruptio, Pulmonalis vocatur à pulmone primario affecto Belgice de *Long-tering*. Caeterum est *Atrophia totius corporis ex purulenta materia vel copia, vel acrimonia vel miasmate suo inquinante totam massam sanguineam.*

§. 1184. Hic morbus fit ex ulcere pulmonis rupto, ergo quidquid ulcus pulmonis fecit; id Phthisin pulmonalem efficere potest.

§. 1185. Hic morbus accurate est tradendus; nam in Gallia, Belgio, Anglia fere decima pars morbis Chronicis laborantium moriuntur Phthisi, ex iis quidem dimidia pars Hæmoptoë.

Ulcus Multa corpora sunt adeo vivida, spiritusque habent tam teneros & mobiles, ut vasa facile laedi possint, jam vero in pulmone vasa sunt minima, & impetus adest magnus, hinc facile rumpi possunt, quae vasa rupta Haemoptoem producunt.

San-

Sanguine rutilo. Hoc eſt contra *Craanen*, *Bontekoe*, & horum aſſeclas.

Acute &c. ut imprimis prope aures videre licet.

Hilaritate. Vulgo quidem dicitur homines hilares non eſſe morituros Phthiſi pulmonali, ſed contrarium obtinet, nam habent vaſa tenerrima, ſed Melancholici raro Phthiſici fiunt.

Ingenii. Hi facile inclinant in Hæmoptoen ſeu Phthiſin Pulmonalem, & ſi hæc ſigna nobis appareant in juventute, tum facile hæc curare poſſumus; Hæmoptoen vero præſentem à tali cauſa nempe ſanguine acri & vaſorum teneritudine curari non poſſe puto.

β. Nemo fere de Phthiſi bene ſcripſit, unus poſt *Hippocratem* Anglus, ſed non ordinate, nempe *Chriſtophorus Bennet in Theatro Tabidorum* optime intellexit morbum, & omnia fere novit, ſed ſtylo intricatiſſimo ſcripſit; dicit, quod nonnulla corpora ſint tam tenera, ut cibus & potus ſubigere non valeant, & vitium hærere in pulmone & vocat hos pulmones catarrhoſos, tum vero ibi fit accumulatio & majus tuber & majus, ſi non oriatur Hæmoptoe; idem dicit, Angli aſſumunt cibos meraciſſimos, ſemicoctas comedunt carnes, unde accipiunt chylum crudum, qui in pulmonibus ſtagnat; & hinc hi ægri leviter & ſicce tempore pomeridiano tuſſire ſolent; hocque notat materiam ibi accumulari, quæ tum ibi acris facta vaſa corrodit, &c. Hinc illi homines hoc morbo (conſumptionem vocant) ſunt obnoxii, quibus viſcera ſunt adeo debilia, ut chylum ingeſtum non in bonum ſanguinem convertant, ſed aliquid putridi craſſamenti relinquant, quod relictum in pulmone aggeritur, unde Hæmoptoe, tum totum corpus eſt infectum,

fectum, omnia vasa debilitata, hic morbus curatur, primo sanguinis impetum minuendo & ininspissantia medicamenta præscribendo; sed post septimum iterum diem morbus redibit, hi ægri in stricta diæta bene se habent, sed si debacchentur, statim Hæmoptoe laborant, & ex eo forte ut notat *Bennet*, & ego sæpius observavi, hi plerumque laborant tussi sicciori, calidiores sunt magis quam naturaliter, rubent in ore, gingivis, palato sunt genis optime roseis, post minimum motum illis magnus anhelitus adest, quod notat hos ægros consumptionem esse accepturos.

γ. Tempus ergo intra sedecim & triginta & sex annos Phthisicis familiare, post triginta & sex annos, dicit *Hippocrates* (licet hæreditaria sit Phthisis) homines vix Phthisi laborare, id est, naturaliter, aliter his annis hæc frequens observatur.

γ. Non hic loquor de Hæmoptoe à clamore seu tumore, nam tales octuagenarios sanavi. Hæmoptoës est exsputio sanguinis floridi, hinc hic morbus vulgo ut vulnus tractatur, licet potius sit erosio seu diabrosis, nam vasa tenera, sanguis acer, & motus maxime concurrentia Hæmoptoën producunt, uti observatur, alia vero sunt, quæ Hæmoptoën accelerant, ut sunt puerperarum lochia intercepta, menstrua suppressa, ut si his ex naribus effluat sanguis, non fiat venæ sectio in anno bis admissa, dein intermissa, sæpe in Hæmoptoën præcipitat; hinc hic morbus fere semper oritur ab hac causa naturali ex dictis prædisponentibus causis, sanguine acri, vasis teneris, motu magno, hæc causa vix curatur, sed quæ à solo cursu, clamore &c. facile curatur, quia

quia secum non habet hanc malam dispositionem; si Hæmoptoe oriatur ex his caufis fine caufa Procatarctica, tum in curatione praemitto venæ sectionem & strictam diætam; aliter, si in corporibus prædispositis oriatur morbus, tum non sanatur.

§. 1186. Quomodo oriatur & progrediatur Hæmoptoe vix ullibi describitur, definitur vulgo exsputio sanguinis floridi ex pulmone, sed hæc definitio totam morbi Idæam non absolvit, at inquisivi, quid ipsis fieret, quid in corpore perciperent, dicunt dolorem obtusum quasi leviter dilacerantem non magnum, calorem moderatum, salsum.

Fibris. Hoc maxime fit à polyposis concretionibus, ut *clarissimus Ruyschius* notat, cum Hæmoptoe oriatur, incipit cum angusta oppressione &c. nam antequam, quis laborabit Hæmoptoê, hæcce habebit signa antecedentia, ut ipse ex ægris didici, sanguis hic per os exire potest vel destillando per nares in os vel ex gingivis profluendo seu ex arteria rupta circa fauces, seu ex æsophago, seu ex ventriculo, sed cum his signis indicatur certe, quod ex arteria bronchiali seu pulmonali profluat, hinc longe alius morbus, quam qui à violenta vi conciliatur, sed à sola debilitate vasorum & sanguinis acrimonia, seu proprio impetu ab hac specie Hæmoptoës, æger vix unquam curatur.

§. 1187. Venae sectione illico reprimatur impetus, ut vas contractum retroire possit, tum impeditur, ut rima in vase facta non fiat major, ut aliter fieret per amissionem seu affluxum sanguinis. Homo v. g. habuit ante horam vasa integra, jam vero rupta ex caufis dictis

dictis tum curari non potest, nisi forte aeger ita debilitetur, ut cadat in animi deliquium, si medicus morbum, antequam hucusque perveniat, non praecognoverit, tum haec agere tenetur, sed melius est praecognoscere & tum curare.

2. *Incrassantibus.* Multi putant haec sola sufficere, verum si haec omnem sanguinem coagularent, tum ilico fieret Peripneumonia; si vero dicant inde fibras constringi, tum totus pulmo constringeretur, seu ejus pars affecta, quod fieri non posse videtur, nam haec medicamenta loco affecto applicari non possunt, si dicant vi narcotica agere, tum eadem difficultas. Multi dicunt arteriolas statim esse claudendas, unde dant bolum Armenam, lapidem Haematitidem, limaturam Ferri, diu in hac opinione versatus sum, sed haec medicamenta nihil agunt, nec eo fluere possunt, nec sanguinem sic inspissare possunt, ut eo non fluat, prius enim lethalis fieret Peripneumonia; sed plurima sunt adstringentia, quae optime juvant, dedi convenientissima in *Materia Medica.*

Stipticis. Omnes hi, qui dant stiptica adstringentia &c. antequam sanguinis copiam minuerint, pessime agunt, nam tum malum facilius redit, sed haec sunt danda non nisi venae sectione praemissa, quae omni triduo instituti debet ad uncias sex vel septem pro ut sentiam, an adhuc aliquid caloris supersit, sed forsan quis diceret, tum homines tam mirifice debilitantur? sed cur hoc non facerem, cum aliter scio hos morituros, & hac sola methodo multos curavi.

Balsamicis, Cur balsamica hic laudantur? respon-

respondeo ut ulcus nimium puris non faciat, sed an putant, quod si v. g. Balsamus Lucatellæ, vel Sulphuris, vel Terebenthinæ imponi posset, tamen pus fieret, quibus à cantu, risu, &c. hic morbus oriatur, hi curantur balsamicis, sed hi aliter & sine his essent curati. Sic sunt multi Nobiles, qui ex oleo Lini vel Terebinthinæ cum Sulphure balsamos habent, & dicant hos balsamos certissime curare Phthisin, sed vidi eos dedisse ægris pessimo cum successu, nam hæc sunt calefacientia, hæc destruunt ventriculum, Anorexiam majorem faciunt, calorem & siccitatem augent.

3. Hac methodo nobilissimas curationes institui, exstinctis plurimis in quadam familia Hæmoptoicis, usus sum hac methodo antequam ingrueret annus, quem ipsis lethalem plerumque observaveram, unde servati fuerunt; primo venæ sectionem institui, lac cum aqua, Coffe vel Thee pro potu dedi, tum farinacea cum Milio, Oryza, Hordeo, & omnia calefacientia, uti & motus violentos arcere jussi; hoc est, quod optime commendat *Verulamius in tractatu de vita longa*, hinc summum est remedium, ut illi ægri non nisi lac assumant Hyberno tempore nempe æquali copia lactis & aquæ, æstate vero $\frac{1}{3}$ lactis & $\frac{2}{3}$ aquæ, nil aliud est concedendum, quia pulmo est fabricator, qui crudum chylum in sanguinem meabilem coquit, ergo est officina, ubi chylus fit sanguis, hinc chylus nusquam Tragædiam ludit, nisi in pulmone, si ergo gravia dentur, tum hoc vitale viscus modo gravatur, & hac ratione Hectica febris producitur, imo *Bennet* dicit, quod crudus chylus in pulmone

mone sponte Phthisin producit.

4. *Bennet* accusat nimiam salsedinem volatilem, sed accedentem ad acrimoniam acrem, ergo tum hæc salsedo seu acredo est corrigenda, & hoc valemus efficere cum oleo Amygdalarum Dulcium, nucleis Pini ex Terebinthina & eorum infuso & emulsione.

§. 1188. *Hippocrates* dicit hunc morbum oriri intra triginta & sex annos, & sanguinem esse magis compactum circa vigesimum quintum annum, quo tempore sanguis est acerrimus & impetuosissimus, hinc in hoc casu venæ sectio sanat, observant Brittanni huic malo maxime subjecti sensim unciæ unius sanguinis minus detrahendum usque ad trigesimum annum, hac ratione à prima Hæmoptoe liberantur, hinc venæ sectio & stricta diæta est suadenda, hoc noto ex optimis auctoribus, quia mos alicujus medicamenti specifici apud Nobiles invaluit, dicunt Balsamum Lucatellæ sine suppuratione curare, uti & Balsamum de Mecca & Copaivæ, quæ plus nocent quam prosunt, nam non intelligunt acre mitigandum, impetus animi & corporis moderandi & vasa roboranda, hæc tria sufficiunt. Non juvat hunc hominem curasse, nam semper recidivam patiuntur, quod fit, si plethora iterum sit nata, si color iterum splendidus, venæ lividæ, & plenæ, calor descriptus &c. tum ilico sanguis est mittendus, & hoc omnibus sex mensibus, quia tum hominis diathesis multum mutatur, sic ægrum sanavi, cujus tota familia Phthisi mortua fuit, uno illo superstite, praeterea æger debet quiescere nec alte loqui, nec cantare &c. nam tum malum redit.

§. 1189. Quomodo à sanguinis sputo oriri possit ulcus in pulmone scilicet à triplici diversa causa, & post magnam Haemoptoën, idque frequentissime, si scilicet vas magnum in pulmone ruptum & vulnus magnum sit. 2. Post stiptica male applicata, loco non coëunte sed quasi constricto aut causticis corrugato. 3. a vera neglecta curationis methodo si non facta sit larga venae sectio, si diaeta & medicamenta negligentur post Haemoptoën, semper fere oritur ulcus pulmonis, sputo sanguinis coërcito, oritur primo Dyspnaea, si post Haemoptoen anhelatio, certo sequitur Phthisis, quae major sensim fit, frigus vagum, tum oritur suppuratio, ut alibi, si horror vagus sine causa, calor, rubor, genae rubent, tussis sicca, febris Hectica, ab *ἕξις habitus* dicitur, quia causa penitus & intime in sanguine haerens oritur, ut quasi in toto corpore causa haereat, quae manifestat se chylo novo ad sanguinem advento, tum paulo plus anhelant, sitiunt, rubent, horrent, febricitant; sitis perpetua & debilitas; haec symptomata comitantur semper aegrum pro magnitudine vulneris.

§. 1190. Oritur hic morbus aliquando nullo sputo praegresso, quod bene est observandum, quia semper vulgo, si non spuant aegri, non metuitur Phthisis sine vulnere, omnia quae Peripneumoniam producunt, ut sanguis acer, crassus Scorbuticus &c. quae faciunt ut sanguis per pulmones non transeat, ibique haereat, putrescat, purulentus, fiet, hinc morbum creant.

§. 1191. Est tertia causa, quae sine vulnere & sine acredine sanguinis Phthisin producere potest,

potest, si scilicet Vomica fuit in thorace, Empyema ruptum erodit pulmonem, qui inquinatur, maceratur, corrumpitur à pure circumfuso, unde fere corroditur, fit vera Phthisis Pulmonalis, quae ergo triplex est.

§. 1192. Si v. g. medicus advocetur ad hominem, qui anhelat, tussit, & Hectica febre, laborat, tum medico est inquirendum, an etiam sanguinem exspuerit, si aeger respondeat imo, tum res clara est, si dico non tum aeque ab inflammatione & a pulmonum debilitate esse potest, ut fit in consumptione Anglicana. Si aeger Empyicus fuerit, ulcus est vel tectum vel ruptum, si ruptum, tum tussis perpetua & sputa purulenta, si tectum tussicula sicca, febris Hectica semper praesens, anhelitus ad vociferandum, extabefactio corporis; rubedo in genis, labiis una cum maxima ariditate, quae omnia notant ulcus in pulmone. Hinc causa sputum sanguinis est Peripneumonia.

§. 1193. Omnes hos affectus in capite de Peripneumonia recensui.

Ponatur corpus, caetera bonum, sed in pulmone tantillum ulcus tectum, quid fiet? per pulmones omnis sanguis semper transit, locus ulcerosus non transmittit chylosum, viscosum adhaerebit, accumulabitur, quo plus increscit, eo majus fiet ulcus, exedit pulmonem in saccum pure plenum, haec Vomica Tecta pulmonis vocatur; quid inde sequetur? sanguis transire non potest, & novi chyli sanguificatio impeditur; Vomica haerere non potest, quin cum venis & arteriis pulmonalibus communicetur, hinc sanguis inquinatur, ut in Empyemate, unde similia fere mala oriuntur, vel

vel Abſceſſus plerumque in arterias vel laryngem ſubito rumpitur, unde ſuffocatur æger, ut notavit *Hippocrates* & *Tulpius*, vel ſenſim exſpuunt ægri totum pulmonem, & ſanguinem ſenſim in pus convertunt, pus quod exſpuitur, variu m ſt, vel in aqua ſubſidens vel natans, natans bonum ſubſidens peſſimum, nam notat ſubſtantialem, corporis partem ejici, diſſolutum pejus, dulce melius acri, pingue malum, fœtidum peſſimum, album lividum peſſimum, ſpirans aſſam carnem peſſimam, notat enim totam carnem in pus converſam.

Converſio in pus. Oculis meis vidi & manibus palpavi pulmonem ad unum latus ita corroſum, ut vix accederet ad magnitudinem pollicis, ibi hæc vaſa ſenſim ſe contrahunt, & contractioni reſiſtunt, & tamen ſanguinem non fundunt; eſt duplex Phthiſis una ſicca altera purulenta; ſicca eſt, ubi nil dimittitur, ſeu phlegmata mucoſa, hanc ſiccam voco, quia hic modo mucus à pulmonibus abraditur, & ita ſicca vocari poteſt, licet ſputa adſint, ſeu purulenta, tum Vomica eſt rupta.

Sputa. Hæc ſine pure eſſe poteſt, licet Phthiſis adſit, cum v. g. hæret in ſacco, tum ſæpe illo rupto ſuffocantur.

Facies Hippocratica eſt, ſi tempora exciſa, & illæ foveæ oſſeæ appareant, ſupercilia quaſi ad os hæreant, ſubſtracta ſubſtantia abſit, oculi concavi & pinguedo abſunt; & oculi quaſi intromerſi intra foveas oſſeas, genæ ſtrigoſæ & ſiccæ, naſus acutus, fovea naturalis faciei intromerſa & immerſa, mentum acutum; hæc omnibus Phthiſis ultimo accedit, vocatur Hippocratica, quia ille eam maxime deteſtatus eſt & peſſimam pronunciavit.

Anxietas. Nam oculis lacrymantibus petunt, ut Medicus ab hoc symptomate eos liberare velit, hocque fit, quia si edant, & pulmo corruptus sit, tum sanguis & imprimis novus chylus appulsus per pulmones fluere non potest, quod maxime oritur, si nimis comedant, hinc suadeo hos ægros, ut omni ½ hora edant, hoc vero ipsos non curat, sed morbum tolerabilem reddit.

Pedum. Quia vasa lateralia distenduntur, ut pelluceant majora, vel exhauriantur, tum cæterum sunt instar sceleti & ordinario moriuntur intra triginta & septem septimanas, tum omnia vasa colore cæruleo sunt tincta.

Debilitas, id est, Diarrhaea Colliquativa, ideo semper hanc praecavere debemus.

§. 1194. 1. Si hominem ex Phthisica familia natum curare velis, tum summa ope est annitendum, ne Haemoptoën accipiat, si hoc efficias, tum curabis, aliter non, hinc circa decimum septimum annum venae sectio bis terve est instituenda, simulque vectiones adhibendae sunt, & in hac curatione usque ad vigesimum quintum annum pergendum; nota mihi fuit familia, ubi pater, mater omnesque proles Phthisi sunt mortui, uno filio superstite, quem hac ratione curavi & jam plusquam quinquaginta annos natus vivit, ergo jam tempus Phthiseos supervixit secundum *Hippocratem*, nullaque mala signa habet.

2. Si quis bono corporis habitu per risum, clamorem, aliamve vim externam incidat in Haemoptoën, unde accipit dispositionem ad Phthisin, medicus accedens venae sectione & strictissima diaeta per annum praescripta facile praecavebit.

3. Haec

3. Haec iterum ex *Hippocrate* sunt desumpta, si ulcus sit apertum, latera libera, secretio bona, tum curo, ut depuretur, ne sanguis, crudus chylus, nec sanguis salsus seu acer ad pulmones accedat.

4. Quia se non prius manifestat, nisi toto pulmone corrupto.

5. Hoc notat sanguinem & totam corporis substantiam consumi.

§. 1195. Nam Vomica rumpi potest in pulmonis substantiam, seu in thoracem seu in asperam arteriam, & hinc est determinanda per vapores & victum lacteum, his aliquando adhibitis, tum ventriculo impleto in rhedam ascendat, & hic hoc motu plerumque rumpitur Vomica in asperam arteriam.

1. Hinc sanguis est muniendus à purulenta inquinatione, scilicet ne resorbeatur pus, & febrim Hecticam producat, ergo cavendum est, ne sanguis fiat Phthisicus seu purulentus, Phthisis vero est Atrophia in sanguine à Cacochymia purulenta ex Vomica in pulmone nata.

2. Nam ulcus non consolidatur, nisi prius sit vulnus, & bonum pus generetur; hinc hic decocta vulneraria antipyretica sunt propinanda, ut in ulcere Peripneumonico dixi, nullum vero medicamentum est dandum, quod exsiccat & novam Haemoptoën facit.

3. Qui hoc negligit, non curabit aegrum, quidquid editur vel bibitur, brevi transit per pulmonem, si crassum sit, & pulmo impotens omne ad ulceris locum colligitur, hinc nunquam curatur aeger.

§. 1196. Ut sanguis muniatur, dixi in historia Peripneumoniae assumenda scilicet est co-

pia liquidorum valde fluidorum, blandorum facile secedentium per urinam & sudores &c. primaria hic sunt salina acida adstringentia, licet plures contradicant dicentes *Hippocratem* dixisse acida pulmoni esse inimica, sed hoc externe quo ad vapores, nam alio loco dicit acetum pulmoni bonum, & jubet dare his ægris acetum cum melle, sed salsedinem tollendam esse me dixisse forsan dicetis? verum est, si hæc signa adhuc adsint, sed tum ut plurimum absunt; *Hippocrates* his ægris præscribebat aquam Hordei cum Oxymelle.

§. 1197. Ut ulcus depuretur, semper adhibent medici Balsamum Arcæi, Lucatellæ, de Mecca, Copaiva, Sulphuris &c. sed hi non cogitant se ingerere olea, quæ incrassant; unde pulmo obruitur, nec effectus respondet balsamo, qui non sanat, sed vis vitæ, quid enim facient boni in sanguine partes oleosæ & graves, hæc non dico studio contradicendi, sed fateor me pessimo cum successu dedisse balsamos secundum sententiam *Helmontii*, omnes Græci *Hippocrates* & *Galenus* nil pingue ad pulmonum ulcera dederunt, optima præscribuntur medicamenta in materia medica.

Motum. Hic non intelligo motum muscularem, nam inde acceleratur motus circulatorius per pulmones, sed intelligo vectiones, equitationes &c. nam tum si fortiter aliquantulum equitent, semper ventum habent adversum, tum aër multum irruit in pulmones, eosque depurgat, nam est egregium depurgans, inservitque pro scopo, hinc aër plus quam ullum remedium curat, si vero pulmo de die depurgetur, tum noctu sedantia medicamenta danda sunt, nam tum mane sputa erunt

erunt bona, & tum noctu quoque fit bona carnis regeneratio, aliter si tussis non sedetur, malum augetur, hoc etiam *Sydenhamus* notat, licet alio scopo, nam dicit se Phthisicos curare non potuisse, nisi sudores sustulerit, quod dixit fieri equitatione & Opiatis: ruri versantes in aëre externo longe melius sanantur, à Phthisi, quam urbani. Per balsamicas herbas Phthisi commendatissimas intelligo, Origanum, Hyssopum, Majoranam, Hederam Terrestrem, quæ decocta leviter expressa cum aceto dant optima hordeata, de noctu paregoricum vel lene opiatum conducit, sic tussi inhibita quies oritur, & ulcus optime consolidatur.

§. 1198. Utatur æger pro potu ordinario lacte cum saccharo vel hydrogala ex una parte lactis & tribus aquæ, & equitatione & vectione se exerceat, lac in pus non abit, facile acescit, intra corpus non putrescit, humectat, sitim sedat, blandum est medicamentum, non gravans, quod malum est pessimæ notæ, quod ex fæno hyeme confectum mulgent agricolæ, sed ex gramine recenti pastis est optimum; hinc diu in pratis animalia huic lacti destinata sunt retinenda.

§. 1199. Tria horrenda symptomata adsunt, nempe primo tussis magna, hoc cavetur lacte semper assumpto, si aqua lacti admisceatur, longe minus tussiunt, nam tussis oritur à duplici causa nempe a pure crasso & acri & chylo crasso, hinc his cavetur, si non juvet, Opium cum prudentia datur. Secundo anxietas ante mortem observatur, pulsus valde debilis, post pastum materia chylosa cum Sanguine transire nequit, unde sensus anxietatis mortisque accedentis, hoc cavetur sequenti modo, detur

tur cibus divisus per horas v. g. libræ tres intra viginti quatuor horas, quo pulmo fit debilior, eo plus aquæ addatur, eoque breviore temporis intervallo repetatur cibi assumptio nempe quavis hora uncia una vel duae, si una vice libra una assumeretur, tum aeger valde laboraret, praeterea syrupus Diacodii cum aqua Hordei, quavis hora cochleare unum, tum lac calidum ad sorbillandum; si haec non ita fient, inter ciborum coctionem aegri moriuntur; sed hac ratione vita diu sustinetur. Tertio alvi fluor perpetuus; vidi centum secessus una die maximo cum dolore & continuo tenesmo, hoc optime curatur, si medicus non adhibeat ea, quae laxant inferiora. Haec est vera cura Phthiseos, ne miremini me silere de *Paracelso* cum suis jactatoribus uno mense curaturis Phthisin per Diaphoretica, Mercurialia, nec *Helmontio*, qui nos balsamos commendat, cum non viderunt unum Phthisicum ab iis curatum, adhibui aliquando Mercurium successivum, sed nullum bonum inde vidi effectum.



Phthises aliæ.

§. 1200. Nam Phthisis modo notat Atrophiam cum Cacochymia purulenta, verum est, quod pulmo citius inficiatur, quam alterum viscus, quia laborat prae caeteris. Ab hepate Diarrhaea pessima est; ab utero renibus &c. pessima Tabes, ex iis omnibus fit Phthisis sed curae tantum sunt eaedem, ut pulmonalis.

Hydrops.

Hydrops.

§. 1201. Hydrops nomen Græcum eſt, quod Latini tranſumpſerunt, ab ὕδωρ *aqua* & ὄπτομαι *video*. Sumitur pro collectione aquæ in cavitate aliqua corporis, aut in ejuſdem habitu, inde naſcitur Hodropis diviſio; Hydrops adeſſe dicitur, ubi apparet tumor aquoſus, ad ſenſum frigidus; tactui cedens, veſtigiaque preſſionis ad tempus retinens, & iterum ſe reſtituens, ortus ab omni cauſa, quæ ſerum aquoſum vel extra vaſa ſua ire, vel eadem diſtendere facit; hinc apparet duplex Hydrops, uterque conſiſtit in ſero nimio; ſerum eſt duplex aquoſum & nutritum, per aquoſum intelligo materiam pure diluentem in ſanguine, hoc plerumque cauſa Hydropis eſt, aqua Hydropem producens vel extravaſata eſt, vel vaſa extendit, hinc Hydrops duplex dicitur.

§. 1202. Hydrops fieri poteſt in omni corporis parte extra vaſa ſanguifera, nam ubique extra ſanguinea vaſa ſunt aquæ ſeroſæ. Ergo Hydrops eſt abundantia aquæ ſeroſæ, eaque duplex vel à repletione vel extravaſatione ſeri, in priori omne vas, quo ad vas tantum extra ſanguinea, locus Hydrodropis eſt, in ſecunda ubique extra ſanguinis circulum à vaſis ruptis lympha effluere & colligi poteſt.

§. 1203. Si morbus hæreat intra cranium, tum facit Apoplexiam, niſi futuræ adhuc ſint apertæ, ut ſolvi ab invicem poſſint, ut in Rachitide. Hydrocephalus vocatur ab ὕδωρ *aqua* & κεφαλὴ *caput* : ergo *ſignat collectionem aquæ à*

 morbo

morbo jam in capite factum. Hic morbus eſt multiplex, 1. ſæpe aqua colligitur, ut caput tumeat intra cutim & cranium, hæc leviſſima eſt, & facile ſæpe curatur. v. Carol. piſonem de morbis à colluvie ſeroſa, ubi talia curata conſtant exempla 2. Inter duram piamque matrem, hæc iterum pejor. 3. Si aqua colligatur inter oſſeam ſubſtantiam & duram matrem, hæc pejor. 4. Inter duplicaturas, nam quælibet membrana in duas partes ſcindi poteſt, inter quæ vaſa diſſeminantur. 5. Si aqua aſſurgens inter duram & piam matrem. 6. Si aqua ſit collecta intra plicas cerebri, 7. in cavitatibus, tum incurabilis eſt; nam opplet totam medullam oblongatam, dividitque medullam ſpinalem in duas partes.

§ 1204. Ultima ſpecies peſſima eſt, & non ſanabilis, ſed in reliquis ſuturæ ſunt apertæ, inter quas apparebit tumor mollis, quæritur, an ſanari poſſit? imprimis poteſt, ſi ſcilicet infantes Hydrocephalo laborantes leviſſime concutiam, nempe paulo poſt nativitatem, ſed ſine præparatione non eſt faciendum, dato prius levi Hydragogo, deinde præſcribo lac cum pane toſto, ne eſſet nimis aquoſum, tum inuro ferro cruſtam, Rhabarbaro ventrem laxo, quod ſimul adſtringit, ligatura capitali, & cruciali leviter ſenſim conſtringo ſuturas, embamma ex vino rubro impono, per ſuppurationem vulnus apertum teneo & roborantibus ſubduco, hac ratione hunc morbum curavi; ſed male aliis ceſſit hæc cura, quia Empirici ſubito percutere voluerunt, ſed tum omnia nimis flaccida labaſcunt, at purgantia ſunt prius adhibenda ut Rhabarbarum, Hermodactyli; Myrobolani, unde tumor primum ſubſideat; deinde tantum ligaturis comprimendum eſt caput, quantum aqua educitur;

tur; hac methodo puellam sanatam vidi.

§. 1205. Collectio aquæ in cavitatem pectoris oritur à duplici causa vel fractis lymphaticis vel resorbentibus impeditis; semper in pectoris cavitatem aqua exhalat, quæ resorbetur, hinc si vasa resorbentia obstructa sint, fit pectoris Hydrops; aliquando vasa lymphatica, quæ à *Lowero* ibi copiosissime demonstrata sunt, serum effundunt. Hic Hydrops longe frequentior est quam creditur; hic morbus cognoscitur primo summa anhelatione, facie livida, buccis inflatis, si æger inquietus in dorso jacere non possit, sed fere suffocatur, denique si empyematis causæ præcesserint, & tumore abdominis, pedibus œdematosis æger laboret, nec tum prægressa Pleuritide, Paraphrenitide vel Peripneumonia. Si hæc signa adsint, tum cura instituenda est, ut morbus pectoris, ejusque Hydrops, hinc Paracentesi pectus est aperiendum, & aquæ exitus promovendus, vide *Caput de Vulneribus Thoracis & de Empyemate.*

§. 1206. Sæpe hic morbus mire est repertus, sæpe aqua cavitates vesiculares pulmonum occupat, dilatat, facit saccum aqua plenum, unde oritur duplex pulmonum Hydrops. 1. In hydatidibus hic illic dispersis vesiculis vel 2. una hydatide magna toto pulmone aqua plena utrimque sæpius observatum est; hic morbus curatur, si aqua abundans educatur, sed hæ hydatides vix cognoscuntur, nunquam laborant hi ægri tussi sicca; omnia illa signa sunt ut affecti pulmonis simul abundantis aquæ, nullius Empyematis; si medela universalis contra Hydropem instituatur, tum sæpe Hydrops pulmonis casu curatur.

§. 1207. Oritur sæpe intra membranam cellulosam asperæ arteriæ tumor albus, frigidus, mobilis, assurgens, Bronchoceles falso dictus, si circa has partes lympham stagnare & colligi constet; tum fit Hydrops; tum lanceola Chirurgica aperiatur, hocque aperto imponatur splenium & ligatura cum parum Myrrhæ similiumve exsiccantium, & locus comprimatur, vel opponatur Embamma ex spiritu vini vel aqua Chamemeli vel spiritu Lavendulæ, sic optime curatur. Alia species Hydropis oritur; si nempe homini cartilagines asperæ arteriæ sunt discussæ, tum aër irruens facit tumorem, hinc illo aperto aër iterum exit. Ubicunque vesicula est glandulosa, ibi Hydrops fieri potest, quæ vocatur Hydatis, si glandulosus, dicitur Phyma, si cylindricus vel oblongus sit, estque in vase lymphatico dilatato, sic duplex simplicissima Hydropis species refertur, hinc si appareat, lanceola vel acu pertundendus est, & embammate ex tinctura Mastichis vel Myrrhæ applicato curatur.

§. 1208. Hic morbus terribilis & mirabilis recentioribus observatus est, licet etiam veteres scripserunt de Hydrope clauso, aqua intra ovaria colligitur, & adeo accumulatur, ut aliquando viginti, triginta imo quinquaginta pintas aquæ continuerit, unde vasa ventris comprimuntur, abdomen attollitur; mulier putatur Hydropica, aqua non exit, frequens est iis, quæ maritatæ nunquam conceperunt, hinc sterilibus, ut plurimum ac annosis mulieribus. Si menstrua desinant, accipiunt steriles mulieres æquabilem & tensum tumorem per totum corpus, nullo tamen signo Hydropis apparente, hic tumor ruptus Ascitem facit, aliter

ter tympanitidem & gravitatem mentitur. Hydrops Ascites nil aliud est quam Hydrops, qui potissimum in abdomine hæret; seu tumor aquosus, imprimis abdomen distendens; derivatur ab ἀσκὸς uter: quia venter in hac Hydropis specie ab aqua in eo contenta distentus utrem inflatum refert. Perfecta proin affectus nostri idea consistit in eo, quod sit tumor aquosus, velut in utre quodam contentus; seu ille hæreat in duplicatura peritonaei, seu lateat inter peritonaeum & viscera, seu distendat in cavitate abdominis reperiundas glandulas, vasaque ibi distributa, ita, ut inde infimus venter tumeat. Variae sunt Ascitis species, pro varietate causarum distendentium abdodomen, ex repletione alicujus materiae liquidae distendentis. Innotescit hinc Ascites purulentus, qui fit in Paraphrenitide ex suppurato diaphragmate, & in Hepatitide, ex rupto hepatis ulcere; dum materia purulenta in cavum abdominis effusa hoc facit turgere, & hinc eandem, ac si esset verus Hydrops Ascites, requirit medelam. Mentitur non raro Ascitem Hydrops uteri ab collecta in cave uterino aqua factus, totum interdum abdomen tumefaciens. Tnmor abdominis faeminarum utero gerentium, ob graviditatis fallacia signa, imprimis dissimulantibus faeminis saepius, quam expedit artis honori vel exercitatissimis imponit medicis, qui eum subinde pro Ascite habent.

§. 1209. Haec mali species eo gravior est, quod aegros & medicos saepe ludibrio exposuerit, nullus annosus est medicus, quin observaverit se sic esse deceptum, nam omnes hae mulieres menstruis non laborant, mammas tensas, tumentes & papillas vesperi ele-

vatas, lac & serum stillantes habent, caeteraque signa graviditatis, nam earum venter tumet, durescit & motus adest in ventre, unde certo putant se esse gravidas quia prius gravidae similia passae sunt, hinc *Clarissimus Drelincurtius* in hac re fuit deceptus, ut ipse fatetur, puella septendecim annorum ab illo consilium petiit, hic eam esse gravidam certe putavit hinc resocillantia dedit, sed male, inde enim tumor magis magisque increvit & plus seri per papillas destillavit, & tandem mortua est; *Drelincurtius* eam secans omnem hunc humorem invenit ortam ab aqua in utero haerente; hinc medici metuentes fœtum; non audent dare Antihydropica, ne fœtui noceant. In hoc casu mulier supra vapores aperto corpore ponatur, vel per infundibulum hauriat in vaginam, hoc per aliquot dies facto, tum immisso digito quaerendum est os uteri internum, tum instrumento quodam locus est pertundendus, & per cannulum aqua est educenda; sic saepe servantur virgines concreto utero laborantes, vide *Marcellum Donatum & Theophilum Bonetum in Sepulchreto Anatomico*, ubi plura exempla recitantur. Sed cur os uteri internum adeo sit constrictum? aeque difficilis est quaestio, cur in graviditate fit. Hic morbus etiam oritur ab ore uteri interno excoriato, dein concreto, unde uterus postea clauditur & tumescit.

1210. Notum est membranam cellulosam sub cute seu adiposam dictam constitui folliculis plurimis, in quibus colligitur pinguedo, in aquosis aqua, quae sub cute facit crustam aquosam, tum fit Anasarca, id est, circa carnem? ἀνασάρκα veteres putarunt esse unam vocem

in

in genitivo ἀνασάρκη latine Anasarca; ἀνασάρκα vero significat ἀνὰ *circa* & σὰρξ *caro* estque Hydrops per totum corpus apparens ὑποσάρκα vero dicitur sub carne, quæ nascitur, si vestigia digiti impressi maneant. Λευκοφλεγματία, λεύκος significat *albus* & φλέγμα *pituita*, hæc vox *Hippocrati* tantummodo aquæ inter cutim vitium designat, ab aqua in habitu pinguedinis stagnante vel effusa producta, si in membrana cellulosa seu panniculo adiposo circum abdomen occurrat, satis frequenter primo intuitu mentitur Asciten. *Peyerus* demonstravit esse morbum in panniculo adiposo, non dicit, ubi pinguedo accumulari potest, ibi & aqua in iisdem vasis accumulatur, quod vero ad thoracem non oritur, non quia ibi nunquam pinguedo observatur, in hoc casu abdomen tumet & caro non attingitur; sic vidi talem ægrum, cui forte gelida tempestate pedes adurere contigit, tum integræ scitulæ exiverunt aquæ, hinc si malum non oriatur à corrupto viscere, tum aduri potest.

Ὑπόσαρκα uno eodem modo fieri potest nempe intra duplicaturam peritonæi, ubi sæpe aqua colligitur ad triginta libras seu quadraginta, & nil in abdomine nec in pinguedinosa membrana habetur.

Circa scrotum. Eadem ratione Hydrops oritur in pellicula cellulosa scroti, & talem vidi magnitudinem capitis adæquasse, testibus interim servantibus eandem magnitudinem naturalem, hoc inurendo seu cantharidibus curatur, & sic aqua effluit, hæc species Anasarca dici non potest, nam nulla caro adest, deinde quoque in tunica suspensoria scroti & in substantia ipsa testium Hydrops fit,

§. 1211. *Ascites est collectio aquæ in abdomine facta referens uterum aqua plenum.* Triplex est Ascites 1. in duplicatura peritonæi, nam sæpius inventum est in corpore maxime tumente mortuo, incisa cute nil aquæ, sed membrana adiposa incisa aquam totis fistulis exivisse & abdomen valde subsedisse, unde medici putabant viscera abesse, nam magnum videbant cavum, sed nulla viscera, tandem vero inferiori membrana peritonæi quoque dissecta invenerunt viscera inferius ad lumbos, vide *Clarissimi van Mekeren observationes.* 'Ασκίτης dicitur ab ἀσκὸς quasi *saccus coriaceus*, Latini vero dixerunt *uter*, nam veteres non habebant nisi saccos coriaceos, in quibus asservabant ea, quæ ad culinam pertinebant, hinc accipitur pro abdomine tumente à contenta aqua instar uteri aqua pleni. 2. Si aqua sit effusa inter peritonæum & viscera. 3. In cavo abdominis oritur, hicque est Hydrops ampullatus, & fit, quando materia aquea, intra membranaceum loculum contenta, membranam continentem extendit, atque attollit, tumor ille vocatur Hydatis seu vesicula aquosa; quales in abdomine in copia existentes dant faciem Hydropis ampullati, tumori Ascitico non absimilis. Sed quotuplex est aquæ collectio? Si definiatur quoad variam figuram, magnitudinem suam non multiplex est, si vero affectis definiatur, quatenus fit tumor abdominis ab aqua contenta, tum modo una species est; distinxerunt veteres in fluctuantem Belgice *buykwater* seu in clausam, & dicitur Belgice *besloote water*, unde perfecte non cognoscitur, ubi hæret, & ideo difficlle curatur, nam si abdomen pertundatur, tum aliquot guttæ effluunt,

fluunt, & tumor manet, si in alio loco pertundatur, tum iterum quædam guttæ profluunt, & tumor inde non minuitur, si v. g. viginti libri aquæ adsint, hæc æqualiter distenduntur, & nulla fluctuatio inde percipitur, si æger ponderetur, habet pondus ratione molis & tum cognoscitur aquam adesse sed non in cavo fluctuantem, si hac ratione in abdomine hæreat, tum inde æqualiter distenditur & aeger gravis est ad pondus & fluctuatio auditur; haec species dicitur Ascites Hydatodes. Humor in cavitate clausus fotus, putrefactusve rarefit, dilatatur; & in abdomine hinc expanso praebet ideam Tympanitidis, sine quo Ascites raro inventus ab auctoribus observatus legitur, vide *Tulpium*. Ab instrumento bellico, quod Tympanum vocatur, Tympanites derivatur, Belgicae *trommelslach* & solo aëre rarefacto abdomen extendi existimatur à quibusdam, minus recte ea propter ad Hydropis species referri posse putantibus, sed quam vere judicent alii. Si nulla aqua adsit, & tamen tensio, tum humor talis ab *Hippocrate* dicitur Hydrops siccus & ab aliis speciebus distinguitur ad stateram, nam tum habet parum ponderis ratione molis, & tum vocatur Tympanites; hic aër seu vapor rarefactus haeret seu in intestinis seu in ventriculo, vel in abdominis cavo; si hi vapores rarescentes hepar, intestina & omnia viscera comprimant, tum oriuntur pessima mala, & hinc Hydropem pejorem esse dixit *Hippocrates*. Denique oritur Tympanites ab intestinis vel ventriculo exulceratis, exeunte aëre in abdomen & postea vulnere compresso.

§. 1212. Hydrops testium nullibi bene tractatus, uberius dilucidandus venit.

1. Si Pellicula Ruyſchiana aqua impleta ſit; tum teſtes aeque parvi ſunt quam naturaliter, ſi vero premantur, ſcrotum eſt glabrum; dein digitum impreſſum retinet, & ſi fortiter prematur, tum teſtis ſentiri poteſt. Si teſtium cutis eſt glabra, tunc non eſt Hydrops teſtis, ſed Anaſarca.

2. Notum eſt, quod peritonaeum in una lamella circumducatur, annulo muſculari, per quem tranſeunt ſeminalia vaſa; hinc contingit his, qui Hernia inteſtinali laborant, quod ſaccus juxta vaginalem tunicam ſcroti deſcendat aqua impletus, hic vero tunica interior peritonaei facit Herniam, jam vero aqua impletur, & hinc cognoſcitur, quod non obtineat niſi in iis, quibus abdomen tumet ab Aſcite &c. ſi tumor trudatur extrorſum, tum cedit paulo introrſum & à teſte aeque mobilis ſeparari poteſt.

3. Teſtes intra vaginam laxam haerent, quae vagina dicitur tunica vaginalis, habetque ſemper aquam roridam & haec ibi omni momento per vaſa exhalantia deponitur, & per reſorbentia iterum abſorbetur, ſi jam ergo cauſa ſit, ut vaſa abſorbentia eam aquam omni momento exhalantem non auferant, tum ut videtur, teſtis intumeſcere incipit, & hoc dicitur Hydrocele, Gallis haec diſtinguitur ab alio effectu, quod primo vaſa ſeminalia non intumeſcant in Hydrope vel teſtium ſubſtantiae vaſa ſunt tomentoſa; ſecundo eſt hic tumor durus renitens, ſi candela opponatur, & Chirurgus ab altero latere videat, tum, an ſit in teſtium ſubſtantia nec ne, videre poteſt; ſi in tunica vaginali, tum pellucet tumor, & apparet in ea quaſi umbra, quae eſt teſtis. Dein & ipſe teſtis ſit Hydropicus, quod tamen raro,

raro, & si fiat seu ab Hydrope seu ab inflammatione in Lue Venerea bene distinguenda, nam si posterior affectus pro priori agnoscatur, tum prioris curam instituendo dirissima inflammatio producitur. *Malpighius* demonstrat aqua intermedia humectante defendi testem, si hæc non resorbeatur, colligitur inter membranam suspensoriam & vaginalem, hinc in immensum crescit, vidi instar capitis, licet testis adhuc liber esset, hic morbus ab affectione Luis Venereae distinguendus est, nam in Lue Venerea vasa seminalia prope annulum æque tument ac scrotum, & tumor hic est inaequalis præruptusque, in Hydrocele vero est tumor durus æqualis & tum nullam duritiem nec tumorem ad vasa seminalia sentimus.

§. 1213. 1. Hydrops producitur ab omni eo, quod impedit, quo minus serum aquosum in venas redire & cum cæteris humoribus leges circulationis per totum corpus æquabiliter, ut antea subire possit, post experimentum egregii *Loweri* abunde est satis factum huic difficultati, nam sic potestis quodcunque animal & quamlibet partem vestri corporis reddere Hydropicum, nam si v. g. ad venas manus ponantur splenia, tum intra ½ horae ad manum oritur Hydrops, unde fit collectio aquæ ob venosum iter interceptum.

2. Hoc raro fit, sed tamen hoc fieri potest; nam vasa lymphatica aeque rumpi possunt ac sanguinea.

3. Omnia loca nostri corporis, quae dicuntur vacua, ut cavitates cerebri, pericardii, testium, abdominis, pectoris &c semper plenae sunt rore humido vitali, hinc omnia semper viscera & abdomen humida sunt; quae aqua

per adfertur, & ne ſtagnet, reducitur in circulum, ſi à venis abſorbentibus non reſorbetur, tum fit Hydropica collectio; hinc inventum eſt ab Anatomicis; quod nemo à morbo languido moriatur, quin ventriculi, cerebri, pericardii, peritonæi, abdominis, membrana adipoſa &c. ſint impleta aqua; ſi vero quis per vulnus moriatur, tum in illis locis aqua non deprehenditur, hinc videmus, quod vis exhalans non deſinat, vis vero abſorbens deficiat; hinc *Hippocrates* dixit, corpus cavitatibus ſcatet, & hæ in ſanitate ſpiritibus plenæ ſunt, ſed in morbo ichore, hinc omnis circulatio per vaſa perturbatur.

§. 1214. Occurrit hic primo omnium ſæva illa, præter meritum multos in magna ſæpe mala mortales inducens, diſpoſitia gentilitia, qua ejusdem familiæ homines, talem nacti ſtructuram corporis ut certa ætatis ſuæ periodo, ea, quæ Majores eorum, in eundem ac illi incidunt morbum; obſervatum namque eſt, quod hac ratione omnes unius ejuſdemque familiæ homines tandem certam ætatem adepti Hydrope Aſcite defuncti ſint.

Potus nimius &c. Si æger Aſcite laborans multum quidem bibat, non tamen reddat quantitati aſſumti potus reſpondentem urinam, admodum difficilis ſit ad ſudores, nec diſſipaverit illum potum motu nec nimio calore, tum fit Hydropicus; ut *Hippocrates* obſervavit in militibus, qui morbus vocatur Hydrops caſtrenſis, cibus & potus hinc incurrunt culpam, quatenus vel copia vel qualitates conſiderantur. Si nimia aſſumantur copia, quia nimis tunc diſtento ventriculo orificia ejus contracta, vaſa, quæ in cavum illius exſudant humorem, dige-

ſtionem adjuvantem, comprimuntur, digeſtio prima impeditur, unde oritur cruditas in primis viis, hinc ad vaſculorum fines obſtructio, corporis imminuta perſpiratio, vide *Sanctorium*, nam ubi perſpiratio fit, requiruntur ſanguinis adeo particulæ parvæ, ut per vaſa cutis excretoria tranſire poſſint, ſi vero plenus ſit ventriculus, ille cibum ſatis comminuere non poteſt, hinc craſſior chylus ad ſanguinem pervenit, & quidem ea in copia, ut à vaſis ſubigi non poſſit, & debite comminui: ſed quid hinc eveniet aliud, quam ut vaſa magis debilitentur, humores ſtagnent & ſic ſternatur via morbo. Imprimis vero hic male agit cibus in nimia copia aſſumptus poſt diuturnam inediam, nam cum novo ſuppeditato chylo humores demulſi non fuerint, vis vitæ interea perrexerit, partes ſolidæ per hanc ipſam debuerunt deſtrui & ſubtiliſſimi humores diſſipari, reſidui vero inſpiſſari, imo à perrennante attritu tandem fieri acres, putreſcentes, rodentes, jam ſi tunc ſubito in copia ingeruntur cibi, deficiente liquido inquilino diluente generatur cruditas humorum, & ab impactione horum in vaſa, eorum nimia diſtenſio & effectus. Quantum potus frigidi, ſi aſſumatur ſimul nimia ejus copia & ſubito, nocere poſſit, jam notatum eſt ab *Hippocrate*. Quoniam enim in toto corpore noſtro nullus eſt locus, ubi non exhalet tenuis per poros ſuos vapor, ingeſta frigida conſtringit eosdem & obſtruendo parit humores viſcoſos dimittentes ſuum liquidiſſimum.

Morbi acuti &c. Cur à morbis Acutis toties Hydrops oritur? ſane quia ob maximum humorum motum vaſcula lymphatica rumpuntur, & ſan-

sanguis crassus factus in venam regressus impeditur.

Sine his. Nemo diu ferre potest abusum spiritus vini fermentati, quin sequatur Hydrops, hinc Belga, cum vicinum suum videret efferri, dicebat, non mortuus est per aquam; quod in nostra lingua significat Hydrops, sed tamen inde mortuus est. Ita quippe fit, ut ex talium usu motus in sanguine acceleretur, ejusque attritus augeatur, unde dissipatis fluidissimis cruditates gignuntur, materia pituitosa frigida in vasculis facile colligitur, & in his accumulatur, interim viscerum debilitas sequitur, circuitus humorum valde debilis, & sanguis ad motum iners redditur, humores stagnantes acriores fiunt, hinc obstructa vascula, vel compressa aut angustata magis magisque repleta, distensa, & interim à materia acriora facta, erosa rumpuntur, & lymphaticum liquorem in cavitates effundunt; unde Ascites exoritur. Post omnem Scirrhum abdominalem fere oritur Hydrops, quia liquida redire nequeunt, quartana liquida incrassat, & hac ratione curat.

Empyema &c. Quia corpus his morbis labefactari solet, hinc omnia; quæ impediunt, ut lympha in venas abeat, faciunt Hydropem.

Evacuationes. Si sanguis arteriosus nimia copia fluat, tum oritur Hydrops, & pallor, quia omnis color corporis, robur, & evacuatio a sanguine arterioso veniunt.

Haustus acrium &c. Hinc si ingerantur alimenta & potulenta acrimonia aliqua peccantia, sive illa sit salina muriatica sive aromatica, patere cuilibet puto, quod fieri debeat humorum dissolutio, partium solidarum minimarum destructio, stimulatio solidorum ac velocitas humorum

rum, semper vero liquidi dissipatio & inde excitatio perpetua, non levanda, sitis ad restauranda amissa liquida, hincque pendens exsilitio humorum per debilitata vasa. Si victus sit nimis viscosus ex farinosis non fermentatione paratus, vel etiam tenax ex gelatinosis animalium, tum ex caseo lento, aut presso nimis coagulo lactis, fient vasculorum tenuiorum in intestinis obstructiones, hinc intestinorum inertia, cruditates, tumores, & si ipsi sanguini illata est illa Viscositas, hæcce omnia & pejora gignuntur. Oleosi autem & pingues cibi, quia sunt indigestibiles & cum sanis humoribus difficulter miscibiles obstruunt vascula minimorum vasculorum, unde introitus liquidorum in venas, imprimis meseraicas impeditur, atque sic sanguis orbatus fit liquido, incrassatur, inspissatur, Ascites generatur.

Hydatides. In his vasa liquida ferre non possunt.

Similia. Hic magna est dissensio à *Sydenhamo*, nam ille negare vult; quod Hydrops non oriatur ex alio morbo, sed esse morbum singularem, quod forsan factum est, quia alios auctores non legit, ipse vero tot occasiones non habuit, hinc Magnus ille vir in his erravit, sit v. g. homo robustissimus, cui vulnus infligatur; & inde sequatur tanta Hæmorrhagia, ut æger in animi deliquium cadat, si ille tum impleatur ilico crudis aquosis, balneis & fomentis &c. utatur, tum ilico erit Hydropicus, hinc videtis hoc malum sequi posse ex aliis morbis.

Scorbutus. Tum oritur Hydrops, quia membranæ & vascula redduntur inperspirabilia, imprimis vero in cavitatibus, venæ non absor-

ben-

bentes liquidum ab arteriis depositum faciunt Hydropem, hinc potius venæ quàm arteriæ in causa sunt.

§. 1215. In initio pedes apparent ædematosi: notum enim est, quod illa diathesis in corpore, qua sanguis circulationi est ineptus, primo omnium in locis à corde remotis fiat conspicua; sicque partes inferiores præ aliis inflantur. Si vero acciderit, vasa in abdomine quædam, ruptione facta, serum aquosum effudisse, tum illud ex natura omnium fluidorum descendit, qua ipsi conceditur iter, & propter tenuem satis peritonæi lamellam, minorem inveniens resistentiam, it ad femora & ad scrotum in viris. Si cogitatur, quod per venas ab aqua compressas, humorum, quos continent, reditus impediatur, res fit clarior, tument vero pedes maxime vesperi, quia tum circulatio in capillaribus tardior & transpiratio, ab ingruente frigore externo imminuitur, quare versus noctem tali tumore affectos homines audimus de frigore conquerentes. Digiti impressi vestigia ad tempus in tumore remanere non adeo mirum videtur consideranti, quod labefacta valde fibrarum muscularium vi contractili, hæc non ita statim pressæ se restituere & reassurgere possint.

Tumor abdominis. Si hæc ita fiant, tum est seu in panniculo adiposo & dicitur Anasarca, seu hæret sub una vel altera peritonæi lamella, tum est species Tympanitidis, & hoc fallit nisi ad stateram exploretur, si digitum impressum retineat, tum supra peritonæum est, si non, tum infra peritonæum, seu in ejus duplicatura, si infra peritonæum in abdomine hæreat, tum strepitus auditur, si vero sit Hyda-

Hydatis, tum tumores sunt inæquales, & strepitus non auditur.

Strepitus fluctuantis aquæ in abdomine auditur, si moveatur corpus, forte non adeo concipi posse dicet ille, qui abdomen semper plenum reperiri ex Anatomicis edoctus est, & hinc ubi extra vasa sua iverit serum, hoc tantum præcise spatii occupare putabit, quantum sibi putaverit premendo intestina & elevando peritonæum extrorsum, adeoque, perfecte repleta cavitate abdominis, æque impossibile esse, ut strepitus audiatur, ac non auditur ab aqua, qua vas aliquod accurate repletum est, quacunque etiam vi illud moveas. Haud tamen putem, inexplicabile esse ita Phænomenon, ut totum debeat in dubium vocari, quod tot celebrium auctorum nititur observationibus, nam verum quidem est, quod abdomen in vivo sano corpore semper sit plenum, quia omnes partes insita sibi gaudent vi contractili, quæ quælibet, quantum premitur, tantum etiam resistit: sed ubi hæc vis destructa vel saltem debilitata est, uti in Hydrope id contingit, nullam video difficultatem, quare non possit aqua in abdomine extra sua vasa hærens, in uno loco collecta, in illum premendo & extendendo magis agere, quam in alium; cedentibus enim facile integumentis abdomini superstratis, ex uno latere in alterum moto corpore, aqua sub iis contenta post sequi motum hunc impressum, atque sic strepitum excitare. Accedit quod intestina quoque hoc in casu minus resistant, & sic majus minusve concedant spatium superincumbenti fluido. Fit autem hoc magis clarum, quando viscera abdominalia ab aqua putrescente consumpta, & sic plane

ne omnis, quæ ab iis adhuc pendenderat, sublata resistentia, cavitasque facta ast major.

Dyspnœa ægro molesta hic oritur ab impedimento, quod liber diaphragmatis motus ad liberam respirationem requisitus, patitur ab aquarum mole, quæ, illud sursum premendo, arctat pectus & proin pulmonibus, ut se libere expandere possint, non permittit; hinc est, quod plerumque hanc Dyspnæam comitetur tussis sicca, qnæ excitata est, ut lento & ferme aliquando penitus sublato transitui sanguinis per pulmones pararetur via. Quod ex obstructis & expansis nimium vesiculis pulmonalibus difficultas respirandi transeat in Orthophæam vide *Clarissimi Ruyschii observationes.*

Sitis. Orbatur sanguis parte maxime fluida vel aquosa exsiccabitur, & inexplebile excitabit desiderium potus, quod vocatur sitis, quæ Asciticos perpetuo urget, juxta illud:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ;

Cujus fundamentum rei *Horatius* non ignoravisse videtur, quando canit.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis & aquosus albo
Corpore languor.

Sed est etiam alia adhuc producens magis intensum illam ad non levandam sitim, nempe putredo colluviei serosæ, quæ à mora in corpore longiore in loco calido clauso producitur juxta illud:

Putrescant facile, ni moveantur aquæ:

Putrefacta vero aqua contrahit acrimoniam, &, ut sic dicam, alcalescentiam, quæ semper major, quo diutius duravit malum, & quia ejus portio, per exhalationem ad minimum misce-

miſcetur ſanguini hinc ſitis eſt peſſimum ſignum, nam non adeſt, niſi humor ſanguini ſit ſubductus, ſanguis enim tanto plus aquæ caret, quanto plus adeſt ſitis; ſeu indicat ſingularem acrimoniam aquæ Hydropicæ.

Gravitate & Torpore afficiuntur omnes aſcitici: tum propter molem, quæ viſceribus abdominis incumbit, & hinc majus pondus corpori conciliat, quod in ſano nullo modo ſentitur, quia omnes humores vaſis ſuis coërciti non aggravant partes circumjacentes: tum propter impeditum deſcenſum diaphragmatis & ſuperficiem ejus ſuperiorem, pectus ſpectantem, magis convexam redditam, eoque ipſo gravem factam pulmoni, in inſpiratione expandere ſe nitenti; imprimis vero in ſomno moleſta illa fit ægro delaſſatio; dum hoc tempore adhuc magis ſerum iſtud aquoſum premere poteſt verſus diaphragma & impedire liberam reſpirationem. Poſt paſtum hæcce moleſtia, ob diſtentum ventriculum, & auxiliatrices prementi aquæ præbentem manus, augetur eo uſque, ut ægri de anguſtiis præcordiorum & metu ſuffocationis conquerantur. Explicat adhuc magis modo memorata Phænomenum preſſio, quam ſufferunt vaſa ſanguinea, uti reliqua viſcera omnia, unde ſanguinis verſus inferiora itus & reditus impeditur, congeſtio verſus ſuperiora promovetur; hinc, quia ſanguini liberior patet via ſurſum, calor capitis ex Aſcite ægrum infeſtans intelligitur; quin & patet ratio, quare ſuperiores corporis partes eo magis extenuentur, quo inferiorum major eſt intumeſcentia, quippe compreſſis omnibus Chylopoiëſi inſervientibus vaſis nutritio impeditur.

Alvus dura ex sola compressione intestinorum à sero incumbente intelligitur, qua *fæces, quæ ejiciuntur, caprinis stercoribus similes sunt, una cum mucosa eliquatione*, ut loquitur *Hippocrates*. Fæces enim alvinæ, quando liberæ satis propter angustatas vias, quas transire debent, non exire possunt exsiccatæ, inter se minus cohærentes, abradunt mucum intestinorum cavum oblinientem, & eum simul secum auferunt.

Urina pauca redditur ex duplici causa, altera, quia renes & ureteres comprimuntur, ab aquæ copia, nec spatium concedunt secretioni & excretioni urinæ debitum, altera, quia id, quod ex lege naturæ per ductus urinarios excerni debuerat, deponitur in cavitatem abdominis & in cæteras partes eidem excipiendo jam aptas; quo plus abdomen premitur, tanto plus & partes in abdomine contentæ comprimuntur, hinc omnes functiones desinunt, nam viscera tantum premuntur, quantum peritonæum extrorsum truditur; *Hippocrates* dicit omnia viscera hærent intra prelum, hincque omnes actiones turbantur.

Sudor fit nullus in Asciticis, quia materia huic efficiendo destinata aliorsum determinata est. Exhausta itaque erit universa massa sanguinis sero suo seu tenui illo liquido, quod constituens morbi materiem, omne ad infimum ventrem defertur.

Febricula Lenta. Dein calida cum prius esset frigida, quia pus miscetur sanguini.

Hæmorrhagia. Hoc mirabile est, sed si abdomen extensum inspicias, tum vides arterias & venas nudas ad digiti magnitudinem intumuisse, sed sanguinem non habent, hæ vici- nis

nis compressæ sanguinem non admittunt, hinc cum ad nasum liber sit, transitus, nullaque sit resistentia, eo pergunt, & Hæmorrhagiæ narium fere semper oriuntur, estque signum propinquæ mortis. Quo diutius durat malum, eo aqua plus putrescit, & fit acrior, hinc Gangræna & Hæmorrhagia narium, quæ nunquam oritur, nisi quia abdomen aqua plenissimum sursum premitur, 2. quia sanguis acer rumpit vasa.

Exomphali. Vide horrendos tumores ex umbilico ad capitis magnitudinem accedentes, si vero ille tumor à natura rumpatur & æger utatur bona diæta, tum quoque sanatur.

§. 1216. Tres sunt Hydropis curandi indicationes, prima est; ut liber concilietur fluxus liquori stagnanti; secunda, ut lympha extravasata, quæ in cavitates est effusa educatur; tertia, ut viscera labefactata atque vasa corroborentur, & eorum pristinus tonus restituatur.

§. 1217. Primæ indicationi satisfaciunt medicamenta, quæ vitam nimis debilem excitant, 2. omnia impedimenta, uti obstructiones, tumores & scirrhos in hepate, liene, pancreate, mesenterii glandulis & reliquis partibus, tollunt; 3. quæ liquores nimis tenaces solvunt.

§. 1218. Primum obtinemus corroborantibus, aperientibus & si sitis valida non urgeat, penetrantibus atque leniter stimulantibus, qualia ut ex multis selecta ob peculiares vires ab auctoribus hic valde commendata sunt sequentia: Radices quinque aperientes, Aristolochiæ utriusque, Helenii, Valerianæ, Imperatoriæ Eryngii, Iridis Florentinæ, Sileris Montani, Graminis, herbæ Eupatorii, Absynthii, Abrotani,

Agrimonii, Serpilli, Rutæ Murariæ, Marrubii, Calaminthæ Montanæ, Thymi, flores Rorismarini, Centaurii Minoris, Hyperici, Genistæ, summitates Tanaceti, Absinthii, baccarum Lauri, Juniperi, ex quibus secundum lubitum fiunt decocta, vina vel Cerevisiæ medicatæ; præ omnibus Absinthii succus convenit in Hydrope à frigida materia pituitosa &c. orto, sed ubi hepar vel aliquod aliud viscus tumore scirrhoso est obsessum, maxime nocet, uti etiam in cruditate eorum, tum v. g. bibat æger quotidie uncias octo succi Absynthii, & ejus sal addi potest, eundem præbet effectum succus Gentianæ; hinc omnia aromatica acria hic juvant, sed à laxantibus est abstinendum, hac ratione optime sanatur hic morbus.

§. 1219. A quibusdam Practicis summo cum successu ex hiberi solent vina Chalybeata vel aquæ Minerales. Si interim sitis & febris valde urgeant, tunc à præcedentibus calidis remediis paululum est abstinendum & in usum sunt vocanda, quæ sitim extinguunt & æstum temperant; quod fit variis succis ex refrigerantibus fructibus & herbis recenter expressis, e. g. ex malis Aurantiorum, Citreorum, herbis Plantaginis, Acetosellæ, Acetosæ, Sonchi, Cichorei, Lactucæ, Taraxaci, Portulacæ, ut & pluribus aliis, quibus accedunt quædam chemica, uti Cremor Tartari, Nitri purificati, spiritus Nitri Dulcis, Vitrioli sal; nam hic humores sunt putridi, sed simulac corriguntur per saponacea, tum fit sal communis & per urinam tunc dimittitur, hæc enim medicamenta æque stimulant, sed alcali & putredini sunt adversa, tum quoque e. g. solum Cremorem Tartari de die ad uncias dare possunt, donec Diarrhæa inse-

quatur; vel fuccis ex baccis Ebuli expreffis admifcetur fal Polychreftus ad magnam copiam, tum habetur medicamentum alcali refiftens fubacidum evacuans, non nimis movens. aut.

℞ Cremor. Tartari ℥j.
Salis Tartari ʒj.ß

Hæc duo conjuncta dentur ægro ad dragmam unam mane & vefperi, & brevi curatur æger, hæc fpecies Hydropis non per calida aromatica eft curanda, fed per acida diuretica perinde eft, ut fumatur dragma una falis Marini aut falis Tartari.

§. 1220. Scimus Hydropem fieri, quia in vafis extra cordis poteftatem fitis fit aquæ accumulatio, hic vero defectus reftituitur per frictiones nam fic ftagnans materia in motum ducitur; hinc ter quaterve de die fricare pannis ficcis & afperis bonum eft, inveni nuper prius fuffumigare, dein fricare longe optimum effe v. g. jubeo, ut ftragulum corpori circumdetur, fedeant ægri in vapore accenfi Maftichis, Succini, Benzoini, Thuris &c. Sic capite eminente pulmo defcendit, quo facto fumo pannos calidos hoc fumo etiam fuffumigatos, & hac ratione corpus frico.

§. 1221. Sæpe in hoc morbo oriuntur fcirrhi, & tumores validi; fi v. g. adfit Bubo inguinalis, tum crus fit Hydropicum; fed ablato Bubone, ablatus eft morbus, in hoc cafu aquæ Minerales optime juvant; hoc mirum eft, quod aqua Hydropis ab aquis Mineralibus tollatur, fed legite de *hac re Obfervationes Henrici ab Heers de vi fontium medicatorum*; nam fi tumor oriatur in abdomine, quia hic fluxus eft impeditus, tum ægri inde curantur feu tumores folvuntur, & fluxus reftituitur. Remedia fangui-

guinem attenuantia vulgo dicta ſanguinem velocius circumducunt, & hinc puto ea potius ſanguinem inſpiſſare, nam ſanguis motu craſſior fit.

§. 1222. 3. Si ingens lentor in corpore fit conceptus, tum detur Mercurius v. g. in pulverem præparatus ad grana viginti quatuor cum pulvere radicis Jalappæ, hac ratione per alvum purgetur æger, ſed hoc medicamentum ſimul maxime attenuat, nam Mercurius eſt vipera quaſi per omnes canaliculos repens, omniaque reſolvens, ſed Jalappam addo, ut aqua per alvum, non per ſalivam educatur, puto vero hæc medicamenta non tollere Hydropem quatenus ſpiſſant ſeu pituitam incidant & attenuant, ſed quatenus movent, nam ipſe Mercurius ſanguinem in aquam convertit, ſi nulla aquæ purgatio per alvum oriatur, tum inde fit Hydrops, hinc vobis eſt examinanda ſententia probabiliſſima. Cuidam Hydropico à ſimplici defectu præſcripſi vinum Rhenanum cum Centaurio Minori & ſal ſtipitum Fabarum, & hac methodo fuit ſanatus æger; prodeſt etiam in hoc morbo ſal Abſynthii vel Centaurii Minoris, Scordii, Geniſtæ.

Antimoniatorum. Hæc medicamenta primaria ſunt, ſi Antimonii pars una cum duabus partibus & ſemis ſumatur, tum fit mitius emeticum ſeu nauſeabundum, vix vomitum excitans.

Venereorum medicamentorum, id eſt, ex Cupro ſic v. g. ſpiritus Salis Ammoniaci, Cuprum rodat, tum hoc aſſumatur, eſt unicum medicamentum, quod ex Cupro præparatur, quod vomitum non facit, ſumantur nonnullæ guttæ jejuno ventriculo, tum Diaphoreſin movet, hinc ægro cuidam juſſi, ut primo guttas tres, dein aſcendendo aſſumeret, & ſi æger per urinam

nam aquam deposuerit, sanatus est: sed idem medicamentum postea non successit, sed quia non nocet puto tuto tentari posse.

§. 1223. Paracentesis est illa operatio chirurgica, quando in Asciticis abdomen sero vel aqua distentum, instrumento idoneo perforatur seu pertunditur, eum in finem, ut aqua in cavitate abdomminis collecta, ibique tanquam in utre inclusa hærens, evacuetur, & sanitas restituatur, vel ad minimum symptomata mitigentur; multi audaces hanc operationem instituunt, sed plurimi inde moriuntur, ut ex diariis Gallicis patet, hinc bona est operatio, si cum circumspectione usurpetur.

§. 1224. Paracentesis tantum cum spe salutis futuræ institui potest in illo Ascite, qui adhuc est recens, & ortus à quadam causa extrinsecus cito applicata, veluti, si quis post magnam fatigationem valde calefactus, multum sitiens subito bibit frigidam; vel si quis Cachexia laborans magna copia aquæ spadanæ corpus suum replet; prætarea requiritur, ut æger sit juvenis, viribus nondum destitutus, viscera habeat adhuc bene constituta, nec aqua effusa sit putrida. Ubi autem hæc adsunt, vel contraria ratione se omnia habent, Paracentesis potius mortem accelerat, tantum abest, ut salutem ægro promittat, nam latice aquoso extracto vasa flaccida, putrefacta, ab apellente sanguine rumpuntur, concidunt & corrumpuntur; sic etiam ubi Ascites habuerit promateria humorem lentum, limosum, inutilem plane esse putarim Paracentesios administrationem, nam prolici tantum poterit ichor tenuis, quidquid autem est crassi, remanebit, & frustraneam operosæ operationis arguit institu-

tionem, vide *Ruyschium*. Uti autem nulla tam est regula firma, quin patiatur exceptionem; sic & in perforatione abdominis semper attendendum est ad symptomata, quæ aliquando tam gravia, ut ad illa mitiganda, licet sit contra indicans, fieri debeat.

§. 1225. Quam antiqua sit Paracentesis operatio, aut quot variis modis passim institui soleat, modo docere supervacaneum existimo; tantum in id intentus; ut traderem ipsam operationem cum suis maxime necessariis circumstantiis hodie usitatam: hanc in tres partes dividam, prima continebit ea, quæ ante susceptam Paracentesin considerenda sunt; secunda, quæ in ipsa operatione factu sunt necessaria; & tertia, quae peracta operatione adhuc requiruntur: ut absolvatur cura, antequam instituatur operatio, primo omnium circumspicit medicus de indicantibus, quæ vel suadeant vel dissuadeant operationem. De his autem jam actum est, tum, ubi jam conclusum, esse faciendam pertusionem abdominis, priusquam id fiat, Operaturus disponit instrumenta in peculiari tabula, ita ut ad manus sint, quibus opus est; qualia sunt acus cannulata, acuta, triangularis, quæ Gallorum vocabulo *Trois quarts* vocatur, stylus argenteus, fasciæ linteæ vel coriaceæ longæ; & latae; compressae, plumaceolae, emplastra defensiva, vasculum cum oleo. Jam dispiciendum est de aegri situ quem commodissimum cum hodiernis in Gallia chirurgis celebribus, duco esse, ut aeger in sedili collocetur, facilius enim ita effluens aqua in infra positum inter aegri pedes vas excipietur, & lectus haud inquinatus ad recipiendum aegrum erit aptior, ut taceam, quod hic

situs

ſitus cum ad meliorem diſtenſionem loci perforandi, tum ad proniorem aquae effluxum multum faciat, collocato ſic in ſedili aegro, neceſſe eſt, ut deſignetur locus pungendus, quem aliqui majoris cautionis gratia atramento notandum ſuadent; ſed hoc quilibet vel faciendum vel omittendum dijudicet, pro ut magis vel minus putet ſibi erroris evitationem futuram difficilem vel facilem. Majoris momenti eſt determinare prius, quis praeciſe locus pungundus ſit. Variae ſunt hic auctorum ſententiae, quos excutere meum hic non eſt, & de quibus videri poſſunt *Celſus*, *Aquapendens* & *Dionis*. Ille locus eſt eligendus, qui habeat duas haſce conditiones, 1. in quo minus eſt periculi, 2. in quo commodiſſime omnium evacuatio fieri poteſt. Talis autem, qui poſſideat dictas binas conditiones, vel ſponte monſtratur à natura vel non. Monſtrat eum natura in umbilico; ut docet *Aquapendens*, *quando ille ita laxatus apertusque eſt, aut tumens, ut ab exteriori parte ad internam cavitatem, & aquam ipſam, tenuiſſima cutis tantum intercedat, quam vel ipſo tactu, digitique compreſſione, ac perſpicuitate deprehendes*; & tunc umbilicus eſt perforandus. Si locus ſe non commonſtrat, inſtituenda eſt punctio trium tranſverſorum pollicum longitudine infra umbilicum, & eadem diſtantia à linea alba, menſura in corpore ſano intellecta, ſeu, quod eodem redit, in loco medio, qui eſt inter umbilicum & eminentiam oſſis ilei, oblique verſus inferiora inveniendus: ſic enim & evitabitur Aponeuroſis muſculorum & aquae pondus, maxime ſic diſtendere ventrem potens. In utro praeciſe latere perforatio fieri debeat, an juxta veteres in illo, quod

est à fonte Ascitis aversum, non definivero; quia ab hodiernis in hac arte magistris non observatur loco determinato, qui perforari debeat, & ægro apte collocato, dum minister, pone ægrum stans, ambabus suis manibus premit abdomen, quo versus locum pungendum aqua impulsa eundem faciat magis tumere & prominere. Chirurgus acum cannulatam, oleo inunctam, dextra sua prehendit ita, ut ejus ansa firmiter incumbet volæ manus ad pollicis radicem, prominente inter duos digitos maximos, ad summum ad duorum digitorum transversorum distantiam, extremitate cannulæ cum acu, quam simul cum cannula una vice adigit in abdomen usque ad prominentes duos digitos ei incumbentes. Non puto hic necessarium esse, ut sit anxius operator de directione, juxta quam debeat Paracentesis fieri, an longitudinaliter, an transverse, an oblique, nam in loco dicto, ubi fit Paracentesis, eandem læsionem infert musculi transversi, imprimis si consideretur instrumentum hic vulnerans esse triangulum; perforato sic abdomine, mox exempta acu cannula relicta, aqua effluit, in suppositum inter ægri pedes vas excipienda, quam non obstante plerorumque Praxi, omnem simul non educi debere assero, ea cautione, ut abdomen pro eductæ proportione aquæ circumductis fasciis, ex corio vel linteo paratis ab aliquo ministrorum comprimatur, ita ut nullum vacuum remaneat, nam hac methodo una prohibetur, ne vasa & viscera laxa & pendula fluctuent in inani post evacuationem abdominis. Cum aliter hac abdominis strictione neglecta, vasa nunc libera & minus resistentia, magna vi implerentur sanguine, caput è
con-

contra eodem orbaretur, & sic ægro mors acceleraretur, uti sæpe contigit. Si interea temporis, dum aqua effluit, vires ægri dejectas sentiat; illis spiritus refocillantos propinare convenit. Si vero acciderit, ut ob intestinum vulneri admotum, aqua non exire possit, stylo obtuso per cannulam adacto retrudatur illud necesse. Peracta Paracentesi & educta aqua omni, videndum, ut abdomen fasciis sit constrictum, vasaque & viscera compressa pro scopo, quem dixi; extrahenda deinde est cannula, & vulnus consolidandum, quod facili negotio fit ab ipsius vitæ in ægro efficacia, nam cutis, musculi & peritonæum vi fibrarum suarum contractilium, sponte operient foramen, sic ut nil amplius hic sit factu opus, quam ut imponatur plumaceola vel emplastrum aliquod defendens v. g. Vigonis, aut illud, quod dicitur Gratia Dei, simileve, & huic superimponatur compressa una vel altera, fascia conveniente firmanda; cætera vero ad perfectam consolidationem soli ad omnia sibi sufficienti naturæ committatur. Deinde est prohibendum, ne serum aquosum de novo in abdominis cava colligatur, id quod perficitur, applicatis fomentis calidis, vel medicamentis alio modo paratis, quæ ex adstringentibus paululum & roborantibus sunt conflata, atque tandem præscribendus usus sex rerum non naturalium.

§. 1226. Si hydrops sit inveteratus, tum Paracentesi mors acceleratur.

§. 1227. Methodus, qua educuntur aquæ per nova emissaria facta, locum tantum habet, quando materies Ascitis nondum in cavitatem abdominis effusa est, sed hæret adhuc in pan-

niculo adipoſo. Si tunc viſcera nondum corrupta, poterit id, quod olim faciebant Ægyptii, *Hippocrates* & hodie adhuc faciunt bono cum ſucceſſu Chinenſes, audacter fieri, inuritur ſcilicet ferro ignito locus ſub genu, & poſtmodum cruſta facta ſeu eſchara butyro emollitur; ut cadat, & ſic concedat viam exituræ aquæ; quoniam enim panniculus adipoſus totus in toto corpore habet communicationem per omnes partes productus, non abſque ratione hoc modo eductio per derivationem aquæ obtineri poſſe ſperatur. Ad eundem ſcopum faciunt eidem rationi innixa emiſſaria, parata per veſicatoria, lanceolas, fila ſeu ſetacea, de quibus, utpote magis apud nos notis operationibus, nil dicere attinet; denique in hac methodo obſervanda eſt magni ſanè momenti cautela; ut exeuntibus per emiſſaria facta aquis pars antea tumefacta nunc ſubſidens accurate ligetur, circumductis faſciis, ni enim hoc fiat, membrana adipoſa, demiſſa aqua, nunc flaceſcens, ſi hæreat aliquandiu laxa, non compreſſa, concipit Gangrænam. Hæc emiſſaria Cantharidibus facta aperta tenentur Mercurio Sublimato & unguento Baſilico. Auctores, qui huic operationi contradicunt, afferunt, ab his Gangrænam induci poſſe, quod verum eſt, ſed hæc præcaveri poteſt; denique qui purganti ſeu vomitorio Hydropem expellere volunt, æque periculum Gangrænæ internæ inducunt.

§. 1228. Multos Hydropicos Diureticis liberatos fuiſſe, varia apud Practicos exſtant exempla, hinc jure merito ea medicamenta maxime laudantur, & aliis præferuntur, quia his vires ægri non adeo proſternuntur, ut præcedentibus methodis, nam aperiunt, & ſimul

ſerum

serum ad renes determinant, atque per urinæ vias expellunt aquas. Inter hæc medicamenta Diuretica præcipue eminent, quæ partim ex vegetabili & partim ex animali regno petuntur, uti sunt Radices Apii Paluſtris, Petroſelini, Aſparagi, Ruſci, Fæniculi, Eryngii, lignum Juniperi ſemina Apii, Dauci, Petroſelini Macedonici, Fæneculi, Urticæ Romanæ; maxime hic commendat *Clariſſimus Sydenham* omnes ſales lixivioſos & cineres ex variis herbis præparatos. Inter animalia imprimis excellunt Lumbrici terreſtres, Aſellii, Scarabæi, Cicadæ, Formicæ; ſuccus Millepedum quotidie ad uncias tres vel quatuor, & plura alia, quæ in pulveres redacta cum quodam vehiculo exhiberi poſſunt; attamen non niſi præmonſtrante natura, viam hanc per urinas educendi aquas eligi debere firmiter perſuaſus ſum. Ex vegetabilibus conducit ſal Stipitum Fabarum cum vino Rhenano vel aliud ſal lixivioſum, ſal Tartari cum ſpiritu vini more *Harvæi* vel ſal Polychreſti vel Taratarus Vitriolatus optime conducit. Denique ſpecifica ſunt renibus Manna, Caſſia, Rhabarbarum, ſyrupus Roſarum ſolutivus cum Senna.

§. 1229. Hydropem recentem ex nulla prægreſſa inflammatione in robuſto & juvenili corpore ortum emeticis ſanari obſervationes docent; hinc ſi medicus primum ſumma cum attentione ad ægri vires circumſpiciat & omnia ejus Phænomena rite obſervet, atque ſimul obſtet, facile methodum *Clariſſimi Sydenhami*, aquam vomitoriis educendi, ſequi poteſt; nam concuſſione partium ſolidarum hic excitata, liquida ſtagnantia diſſolvuntur atque expelluntur; oportet quidem hic monere, quod lenio-

ra Emetica nil agant in Ascite, sed fortiora ex brevibus intervallis repetita palmam reliquis præripiant, ob eandem rationem, datam in purgantibus: hunc in finem maxime laudat *Cælius Aurelianus* radicem Veratri vel decoctum Hellebori, quod non tantummodo per superiora, sed simul per inferiora aquas ejicit; remedia efficacia quæ maxime hic locum habent, sunt, quæ partim ex minerali, partim ex vegetabili regno peti possunt, uti Tartarus Emeticus, Vitriolum Album, Mercurius Vitæ, Turbith Minerale, Tartarus Vitriolatus, Succus recens expressus corticis medii Sambuci, Raphani, Elaterii, foliorum Soldanellæ, infusio foliorum Asari, Croci Metallorum, Reguli Antimonii & similia.

§. 1230. Nisi hoc fiat, tum tantum aquae recrescit, quantum excernitur, & hinc fortia vomitoria danda sunt mane per sex dies continuos, nam si primo die detur vomitorium, & secundo die nil, tum eo major aquae secernitur copia, hinc tantum aquae iterum advenit; quantum excernitur, sed si secundo die detur vomitorium, tum motus fit minor, & tertio die tandem educitur aqua cum juvamine, & sic porro, in hoc casu Jalappa omnibus palmam praeripit.

§. 1231. Ut per alvum educantur aquae, si nil obstet, & vires aegri permittant, viscera atque vasa nondum sint labefactata, nec corrupta, statim ab Hydragogis initium est faciendum & repetitis vicibus in iis persistendum, si vires aegri ferre queant, donec aquae fere omnes expulsae sint, aliter denuo estatim colligitur earum copia; hunc in finem eligimus ea Hydragoga, quae à feliciſſimis Practicis maxime hic

hic commendantur, uti sunt radices, semina, cortex medius & succus Sambuci, Ebuli, radices Mechoacannae, Jalappae, Ireos, Elaterii, Granadillae, Soldanellae, folia Sennae mundatae, Scammonium Diagrydiatum, resina Jalappae, tinctura ejusdem, Gummi Guttae, Electuarium Hydragogum Sylvii, syrupus Rhammi Cathartici, sive spinae Cervinae unum incommodum habet hic syrupus, sitim magnam excitat. Ex quibus variae pro circumstantiarum ratione formulae concinnantur. v. g.

℞. Cortic. med. sambuci M. j.
Aquae
Seri lactis ana ℔j
Coquantur & dividantur in duas partes, quarum unam mane & alteram vesperi aeger assumat.

Vel

℞. Fol. Sennae mundat. ℥ij
Rhei el. ℨß
Tartar. Rhenan.
Flaved. cortic. Citri ana ℨj
Coquantur leniter in aquae Cichorei
Colaturae ℥iij
Addantur. Syr Spinae Cervinae ℥ij
M. F. Haustus.

Vel

℞. Cortic. med. Sambuci ℥ß
Rad. Aristolochiae. ℨij
—— Jalappae
—— Bryoniae
—— Irid. Florentin. ana ℥ß

Herb.

Herb. Abſynth.
—— Menthæ Criſpæ ana M. j
Agaric. leviſſim. ℥iij
Cinnamomi ʒij
Conſciſſa & confracta dentur
pro vino medicato. hiſce affundantur
Vini Rhenani pint. iij

De hoc remedio aſſumat æger ſingulo mane uncias tres, inter remedia maxime laudatur ſuccus Ireos vulgaris uncia ſemis vel uncia una vice ſumenda; alii radicis Ireos Florentinæ recentis dragmam unam vel duas in vehiculo quodem exhibent: alii tincturam Jalappæ ab uncia una ad uncias duas pro hauſto propinant. Loco purgantium interne aſſumendorum nonnulli etiam Practici clyſteres in uſum revocant, v. g.

℞. Pulp. Colocynth. ʒj
Infunde in vini albi gallic. ℥iij.
Stent per noctem; Colaturæ
addantur Decoct. radicis Angelic.
—— Floris Chamomel,
Herb. Anethi ℥vi
ol. Lini ℥jß
cum pauxillo ſalis
M. F. Clyſma.

Vel

℞. Herb. Soldanel.
—— Gratiolæ
Cortic. Med. Ebuli ana M. j
Flor. Geniſtæ p. iij
Baccar. Lauri

Juni-

—— Juniperi ana ℨij
Sem. Carvi
—— Dauci Cretici ana ℨiij
Coq. S. A. in S. Q. seri lactis
ad colaturam ℥ix
addatur Electuar. Diacatolic. ℥ij
M. F. Clyster.

Vel

℞. Herb. Rutæ
—— Cent. minor.
—— Marrubii ana M. j
Radicis Bryoniæ albæ
—— Ireos nostri.
—— Ebuli ana ℥ß
Summit. Tanaceti,
—— Absynthii ana p. ij
Bacc. Lauri ℨij
Sem. Cumin. ℥j
Coq. S. A. in q. s. aquæ
Colaturæ ℥x
addatur electuarium Hieræ Picrae
Galeni. ℥ß
M. F. Clysma.

Hisce clysteribus etiam addi potest infusio Croci Metallorum vel urinae hominis sani, vel Terebinthinae in vitello ovi solutae q. s. Notari tamen hic velim cum *Sydenhamo*, quod ea, de quibus modo dixi, conveniant iis solum, qui purgatu sunt faciles, illis autem, qui aegre purgantur, lenia Cathartica sunt danda & recensita Hydragoga tantum, ut stimulent, addendo remedia idonea ad aquam per alvum educendam hisce versiculis continentur.

Purga-

Purgabit Agaricus ergo
Et Rosa, quæ pallet Diacarthamus & Colocynthis,
Quinque Trochisci ab ea celebres dicuntur Alhandal.
E Thymelæa etiam pilulæ Lathyrque Sambuccus,
Cyclamenque, Ebulus, Cucumisque Asininus & Iris.
Quæ ne ventriculo noceant jecorique Galanga, Spicaque, Cinnameus Cortex, Piper adjiciantur
Zinziber, & Marathri cum semine semen Anisi.

Omnia Hydragoga solvunt sanguinem, hinc si sanguis jam sit solutus, tum malum est, hinc hæc non danda, nisi viscera fortia, & sit morbi initium.

§. 1232. Aquæ exitus obtinetur etiam per dissipationem vel per calorem ad focum, in hypocausto ad furnum, præsertim si tum simul fricantur partes inferiores, vel in arena calida, solo capite eminente, sic arena veteribus obruebantur; vel sale, qui ad loca affecta contusus apponitur, quorum quale eligendum præ alio, sola Medici statuit prudentia; sal enim maxime trahit aquam, hinc aqua in sale marino attracta mire expurgat corpus & nobile est remedium, nam sal maxime sitit aquam & impatiens est siccitatis, sic semper inter lintea arcte ad pedes applicatus statim ædemata pedum felicissime tollit; vel fimo animalium quod obtinetur exemplo Heracliti lacrymatoris, qui ipse hydropicus factus se fimo imposuit, ut aquam discuteret; vel fæcibus vini vel cerevi-

sia Belgice *draf*, cystella etiam aptari potest, in qua cum toto copore jacet æger capite eminente, tumque talis calor, qualis requiritur, corpori conciliari potest. Sudores eliciuntur per omnia illa, quæ externe ad corpus applicantur, quæ extorsum eliciunt per cutim aquas, ut jam apud antiquissimos in usu erat, & adhuc hodie in Asia & Africa esse perhibetur. Omnis hic in usum vocatur mos in Europa imprimis receptus, per remedia Diaphoretica dicta, materiam perspirabilem educentia, vel externe ad corpus admovenda, vel uti sunt balnea vaporis, spiritus vini accensus seu in cista seu in lecto, vel in corpus ingerenda: & hunc in finem laudatur Theriaca, Diatesseron Mesuæ, Andromachi, Mithridatii, Damocratis, Diascordium Fracastorei, Sylvii, radices Chinæ, Salsaparillæ, Imperatoriæ, Gentianæ, Angelicæ, Zedoariæ, lignum Sassafras, Guajaci, herbæ Scordii, Centaurii minoris, Cardui Benedicti, Abrotani, Absinthii, Origani, Rorismarini, baccæ Lauri, semina Sileris Montani & fere omnia aromatica.

§. 1233. Monendum est, ut æger à potu abstineat, quantum possibile est, ne corpus iterum de novo aqua repleatur; & ne frictiones negligantur; hinc puto me semper curare po .e Hydropicum, licet centum libras aquæ habeat, modo viscera sint fortia, 1, modo nil bibat, 2. bis vel ter de die frictiones sibi facere curet. 2. aër sit calidus, 4. panis biscoctus assumatur, nam hic non facit sitim, 5. huic pani pauca grana salis & alicujus aromatis admisceantur, quod putredini resistet, & siccat, si aliquantulum bibere velit, tum vinum generosum bibere licet, ut vinum Græcum, cui in-

detur

detur panis biscoctus, his assumptis moveatur corpus, quantum potest, sic quidam vir tantum hac methodo nempe vino cum pane biscocto usus fuit curatus, hac ratione aqua dimittitur, sanguis acquirit soliditatem & crassitiem naturalem, vasa contrahuntur & roborantur.

§. 1234. Hisce peractis, necesse est, omne molimem hic impendere ad labefactorum viscerum & vasorum tonum restituendum atque fibras roborandas; ad hoc requiruntur varia remediorum genera, quæ virtute aromaticobalsamica praedita leniter adstringunt, & corroborant, qualia sunt Nux Moschata, Cinnamomum, Caryophilli aromatici, Crocus, Agrimonia, Absinthium, Vinca Pervinca, Radices Centaurii Minoris, Enulae Campanae, Calami Aromatici; Allium, Salvia, Dictamnum Creticum, Rosmarinus; radices Caryophilli, Millefolii, cortices flavedinum Aurantiorum Citri, radices Galangae, Rhabarbarum tostum, Crocus Martis, Chalybs, conserva Absynthii, Anthos, cortex Citri condili, vinum rubrum; imprimis huc faciunt vina generosa & chalybeata, vina Rubra, Hispanica, Malvatica & Rhenana. Si oporteret ex modo recensitis formulam praescribere, sequentem cum fructu exhiberi posse putarem.

℞. Limatur. Chalybis ʒj
Cinnamomi ʒß
Sacchari albi ʒij
M. F. Pulvis tenuissimus.

Hujus scrupulum unum bis de die assumat aeger cum pauxillo vini Rhenani, vel,

℞. Li-

℞ Limat. Chalybis
Cortic. Peruvian. ana ℥iij
Nuc. Moſchat.
Caryophil. aromat. ana ℥j
Vini Rhenani generoſi. ℔iij
F. S. A. Vinum Medicatum.

Hujus ter de die aſſumat æger uncias duas. Præter hoc convenit, poſt curam Hydropis quacunque methodo feliciter abſolutam, ut tali commendetur uſus ſex rerum non naturalium, qui & impediat de novo generari aquas & ſanguinem corroboret. Prior obtinetur intentio, victu ſicco, vel uti ſunt panis toſtus, vel biscoctus; carnes aſſæ; abſtinentia à potu, imprimis tenui; evitatione aëris humidi; ſomno non nimis diu protracto; motu corporis ad initia levis ſudoris; & affectibus animi moderatis. Secunda intentio impletur 1. per modo dicta, 2. per omnia ea, quæ ſanguinem laudabilem generant & ſpiritus reficiunt; quo faciunt cibi eupepti; potus vini vel cereviſiæ meracioris, puri, aut quandoque impregnati calefacientibus & roborantibus, uti eſt vinum Abſinthites, Helenites modo ne ſint ſpiritus per deſtillationem eliciti, monente *Sydenhamo* & motus fibrarum muſcularium, quorſum referuntur præ cæteris vectio in equo & frictiones: nam hac via debitæ conſiſtentiæ obtinebitur ſanguis & vaſa ſuos humores coërcere poterunt; hinc magnus eſt error, quod homines aqua ablata ilico putent ſe eſſe liberatos, & hinc redeunt ad priſtinum vivendi genus; ſed hæc diæta præſcripta per bimeſtre ſpatium adhuc ſtricte eſt ſervanda; hinc tum conveniunt adſtringentia hic deſcripta, male vero agunt, qui hæc

Chaly-

Chalybeata & cætera propinant, antequam aqua sit educta.

§. 1235. Exempla sunt inteſtina fuiſſe exeſa ſeu ab humoribus ſeu a Dyſenteria, à ſuppuratione, Gangræna, ut & à lumbricis exedentibus, nam tum aër, intrans per os cum cibis potuque inteſtina penetrat perforata, jam vero per os redire non poteſt, ut Hydraulici docent, & hinc licet aperiatur tumor, tum illico ſeu ſequenti die jam renaſcitur, & iterum idem fit tumor, ſed ſecundo Tympanitis quoque fieri poteſt à materia putrefacta aërem generans, ut *Boyleus* dicit, tumque per Paracenteſin æque curatur Aſcites. Verum *Helmontius* dicit pertuſo uno die abdomine, altero tumorem eſſe renatum, ſed hoc fit, quia cauſa remanſit nempe inteſtinorum eroſio. Tympanitis vero eſt reſonans elaſticus tumor abdominalis à materie elaſtica, facile rareſcente, *Hippocrates* dicit Hydrops ſiccus difficilius curatur quam humidus.

§. 1236. Si Hydrocele conſiſtat in aggregata pinguedine ſeu membrana cellulоſa, tum cura fiet ut Hydropis nempe ſi 1. omnem potum vitent ægri, 2. ſi frictiones applicentur, 3. ſi locum exponant fumo Olibani, Thuris, Succini &c. & ſi tum 4. tincturæ Scordii, ſeu ſalis Ammoniaci ſimilis adhibent, ſi vero hoc non velit æger, tum pertundatur, vel ferro candenti vel Cantharidibus aperiatur, hoc melius eſt, quam quod materia faciendo Gangrænam aperturam faciat.

2. *Summis diſcutientibus*. Nempe ſumatur ſpiritus vini, qui ſpiritus coquatur lente in phiala alta Chemica, addatur Camphora; hoc externe applicatur, hoc tumores diſcutit.

Ultima,

Ultima. Erat ante aliquot annos vir, qui dicebat ex desperatione se mortem expetere, dixi huic, ut corpus fricare pateretur cum pannis fumo Thuris fumigatis, ut sumeret Jalappam cum spiritu vini in extractum redactam, & nil magis, & illius tumor sensim evanuit & sanatus est, sed nemo ferret tantum temporis ad curam, quam ille vir, nam potu se abstinuit, sed malum recens erat.

3. *Paracentesis scroti.* Hoc optimum est, hinc Medicus testem premat, tum ponatur candela è regione, si tum tumor non pelluceat, si vero vasa seminalia sint varicosa; tum medicus abstineat, sed si tumor pelluceat, si à teste modo umbra sit, tum instrumento *Trocard* chirurgus perforet ilico, & testem paulo avertit, sed vix periculum hujus læsionis; vulnere facto cannula imponitur, tum aqua extracta unguentum nutritum imponitur, si tum non multum bibat intra unum annum & dimidium ordinario recrescit, si multum bibat in uno anno quinquies vel sexties pertundatur, hac ratione fere semper morbus palliatur.

4. Si hic Hydrops cognoscatur, tunc hanc methodum si sequatur, certo non redit morbus, vulnus lanceola fit in tunica, canaliculus inducitur, & tum integumento testis perforato aqua exit, & in vulnere ponitur siccum plumaceolum, & additur medicamentum suppuratorium, tum tunica vaginalis cum teste concrescit, & spatium non est, ut aqua exire possit, sed est crudelissima cura, nam dolores atrocissimos producit, quia nervi hic sunt nudissimi, hinc febris accedit, & nonnunquam ipsa mors, tamen semper vulnus apertum est tenendum vel corrosivis vel plumaceolis.

§. 1137.

§. 1237. *Ex quibus &c.* Nam *Nuckius* expertus est aquam in abdomine injectam in canis abdomine evanuisse & per urinam copiosiorem depositam; sic ut aqua non tantum mali per se faciat, nisi quod putrefacta viscera inde labefactentur.

Cur eductis &c. Scitur ex Hydrostaticis aquam resistere manui, si verberetur, vel tantum renititur contra ictum, quantum ipse pelletur; sic ovum in aqua circum circa fractum, si suæ formæ tenax adhuc maneret, & aqua tolleretur, tum ovum in frusta fatisceret, hinc aqua viscera sustinet, sed aqua abeunte fatiscunt & gangrænescunt.

Cur educta &c. Quia arteriæ & venæ centuplo majores fiunt, omnia vasa ab aqua compressissima sunt, hinc si uno loco aqua educatur, tum vasa non premunt; hinc sanguis ruit in locum, ubi minor est resistentia, non ad superiora, non ad cerebellum, unde mors & animi deliquium subsequuntur; hinc hoc oritur, quia vasa sine resistentia sanguinem accipiunt.

Cur sitis &c. Non sitiunt ægri, nisi febricitent, verum non febricitant nisi ab acrimonia aquæ, hinc *Hippocrates* dicit; Hydropicus si non sitiat, curabilis est & contra; hinc sitis oritur à putrido sale alcalescente, cui acida maxime opponuntur, vide *Chemiam nostram*, vix tum curatur morbus, sed symptomata tolluntur ab acidis alcali oppositis; sitis sæpe curatur uti & reliqua symptomata à putri oriunda, hoc etiam signum est sanguinem ita orbatum esse, ut vix fluere possit, seu notet quoque alcalescentiam seu putredinem. *Cur,*

Cur acida? Si Hydrops à causa calida, seu alcali seu si aqua stagnando computruit, tum spiritus salis Marini in hoc plerumque convenit.

Cur videtur &c. Sæpissime vidi ægros decem libras aquæ emisisse mane, qui tamen vesperi æque tumebant, imo sæpe major pondus aderat, ut annotavit *Sydenhamus*; licet Jalappam magna copia assumsissent.

Subsidet. Ratio est, quia intestina erant rupta, hinc opio agitationem impediente tumor subsidit.

Podogra.

§. 1238. Morbus maxime in Chronicis celebris Podagra sequitur; Ποδάγρα quasi diceres πόδες ἀγρεῦντα pedes capiuntur; ἄγρα capturam significat, hinc ὁ πὲς, ποδὸς *pes* seu ad pedem Podagra dicitur, si ad genua Gonagra, si ad manus Chiragra, si ad cubitum Onagra, si ad scapulas Omargra, si circa vertebras dorsi vocatur Lumbago; eadem origo sed loci diversi. Quidam dicit hanc esse victricem, dominam & omnium morborum principem, hæc omnium medicorum subtilitatem & artem eludit, hinc Juvenalis canit,

Tollere nodosam nescit medicina Podagram.

Credo vero definitionem hic datam esse perfectam, non vero semper dicitur Podagra, quando dolores adsunt, nam possunt esse dolores inflammatorii &c.

§. 1239. Est apud *Hippocratem*, quare fœminæ non laborant Podagra & ab ea vexantur, sic habent regulæ, nisi mulier ab gentilia labe aut contagio à viro acceperit.

Ingenium &c. Hinc morbus sapientum dicitur, doctissimi enim perpetuò lucubrantes, licet sobrii, in senio viri podagricant.

Victum &c. abstineat æger à cibo substantiali, qui vix subigi potest, vinis generosis diu potis, si diu vivat hac ratione non laborabit Podagra.

Venere. Si prima juventute homines inde abutantur, tum ille motus sanguinem exæstuans actu Venereo excitatur, unde fere ultimo semper Podagra laborant, hinc ubi vinum non bibitur, tum à Venere oritur Podagra, Itali sobrii à Venere, Germani à vino podagrizant.

Corpus. Nimis crassum, acidorum usus in eo nimius.

Pedes. Sudantes subito refrigerati in humidis caligis, hinc venatores, qui mane exeuntes habent pedes rore madefactos, at dum exsiccant, Podagram accipiunt.

Venatum. Hinc vix venator, quin Podagra laboret, nec quoque miles & imprimis equites, si nempe per pluviam pedes frigidi facti, tum ponunt se ad ignem, & sic tum disponunt vasa ad rigiditatem, nam si calcei ad ignem admoveantur, si sint frigidi, tum fiunt rigidi & corium rumpitur, sic etiam corium humanum, nisi quod sensim fiat, & quidem primo in pedibus, & tum sic corpori communicatur, secundo si fiat primo in alia corporis parte & tum ad pedes pergat prior species dicitur Idiopathica, altera Sympathica. Inde patet, quod belli Dux antiquus imprimis Eques, licet sobrius, venator assiduus ultimo podagrizat.

Hæreditas. Podagricus fere semper generat

rat Podagricum, & hæreditas plusquam in alio morbo hic valet, vidi pueros Podagricos parentum vitio.

Contagio. Vidi ex bonis familiis bonæ vitæ fæminas cum viris suis Podagricis concumbentes Podagricas factas.

§. 1240. Dici vulgo solet, medicorum nemo intelligit Podagram, eadem cantilena de febribus circumfertur, non mirum hæc Podagra maximo temporis spatio accumulatur, juvenibus modo annis imo sex mensibus quiescit, iterum redit, hinc non symptomata, sed tota historia morbi hujus cognitio petenda, unde omnia collegi; vidi generale vitium, omnes in cura attendisse ad symptomata, mihi videtur esse dispositio generalis, ut collecta certo tempore pinguedo, saliva, semen; hinc homo est in pressione materiæ, licet non sit in actu, ergo Podagra est morbus essentialis, & ut in corpore crescit unguis sic tecta causa Podagræ certo tempore crescit, & accumulata se manifestat, hæc est illa subtilitas, quam auctores præviderunt. Cum *Sydenham de Podagra* scripsit, non puto plus de ea dicendum esse, cum ipse Podagricus fuerit per triginta annos, sed tamen videtur nil invenisse, quod illum morbum curet, forte mille alii etiam de Podagra scripserunt.

§. 1241. Si homo vere habuerit Podagram, æstate erit sanissimus, sed sub finem Augusti sentit gravitatem, ructus plenus est ventorum & cruditatum, tum brevi dicunt, erit Podagricus, alvus dein fit adstrictior, sudor solitus impeditur imprimis ad pedes, non vidi accessisse Podagram, quamdiu essent sudantes, sed prius fiunt sicci, dein varicosi; hæc om-

nia accidunt uno alterove die; antecedente; hinc quando sudor ad pedes impeditur, tum intra septem circiter Podogram accipiunt ægri.

§. 1242. Perspiratio Sanctoriana impeditur, hinc mense Julio, imo aliquando Junio ~~jam~~ habebit æger paroxysmum Autumnalem. Podagrici accipiunt paroxysmum à Venere, sed quod mirum est, hi aliquot dies ante paroxysmum plus pruriunt quam alias, & alii homines ita, ut se vix abstinere queant, tum semen Podagræ maturescere incipit. Si Mathematicus duos menses fuit liber, & maxime studiis intentus per viginti quatuor horas continuo meditatus sit, vexabitur iterum Podagra, vide *Sydenhamum*, qui in se ipso idem deprehendit; si Podagricus modo unam noctem læte transigat, tum statim pœnam luere debet, hinc apud multos Pontifices Romanos circa Bacchanalia Podagra observata est. Commessatio nocturna bibendo nimium accelerat Podagram, uti & usus lardi similiumque, vide *Sanctorium*, *de cibis difficilis diapneustiæ*, ut sunt lardum, fabæ, pisa, hordeum, avena, cerevisia non bene fermentata; defatigatio magna, affectus animi; vidi, quod tristibus vel hilaribus statim Podagra rediit; multis à purgatione alvina recrudescit Podagra, uti & ab aëre humido, unde vix Borealis ventus flat, quin Podagrici habeant paroxysmum.

1243. Quia hæ partes primo constant vasis minimis, secundo quia à corde remotissime distant; tertio, quia maxime comprimuntur. Describo hic Podagram perfectam non Arthritidem vagam. Pes semper afficitur, non caro, non cutis, sed locus ubi ligamenta, vasa

vasa minima, hinc ibi fit difficillimus transitus inliquidorum, ubi nervi sunt, &c. Thronus fere semper est in majore articulo majoris digiti pedis, dico in prima junctura, cur non in illa & remotiori residet? quia est laxior & major junctura fert totum corpus, & est pars remotissima maxime pressa, hinc si regularis fiat, ibi semper incipit Podagra: & frustra clamant se Podagra laborare, cujus dolores sunt maxime acuti, qui ad manus accipiunt Podagram, gestiunt enim superbire illo encomio, quod Podagricis dat *Lucianus*, eos vel divites vel sapientes dicens.

§. 1244. Si ergo sit orta Podagra sub digito pedis majori, tum per aliquot vices tertio seu quarto modo hunc locum occupat, dein & calcaneum, tum ad maleolum calcis, & ibi etiam per aliquot paroxysmos hæret, & sic dein pergit ad genu, & dicitur Gonagra, postea Ischiatica fit; deinde manus occupat, & vocatur Chiragra, dein cubitum, & dicitur Pechiagra, dein ad humeros & vocatur Omogra, dein cervicem & dicitur Trachelagra, dein & spinam dorsi & dicitur Rachitagra, dein & vidi nasum tumore Podagrico esse infectum, &c. ad sternum, Sternagra vocatur, vidi & vertebras ipsas exsudasse calcem Podagricam; si ergo materia se evacuare non possit, tum ad omnes partes dissipatur, & tandem etiam ad viscera.

§. 1245. Dolor adest tensivus, quasi cuneus ligneus obtusas inter juncturas infixus extenderet partes, quasi dilacerarentur, quasi prelo comprimerentur juncturæ, hinc primo est quasi perioſtio distraherentur à torpore & secundo quasi rumperentur, si hæc symptoma-

ta adsunt, tum raro ultra sex horas durat, & tum dolores leniuntur, & dormire incipiunt, si v. g. sæpe passi sint dolores, tum tumor tandem rumpitur, & creta exit à minimis vasculis ruptis, qui sunt nervi.

§. 1246. Hinc credere & concludere cogor, quod causa proxima hujus mali, sive adsit paroxysmus, sive non, sit in nervis, habentibus aliam dispositionem, in nervis esse humores differentes, quos non invenio in sanguine, nec in lympha, ergo ibi cætera sunt saluberrima & in nervis deficit, ergo non bilem non lympham, sed salem aliquem accuso.

§. 1247. Nam non perspirant ægri; si nervi papilla inspirabilis redditur & compressa, tum fit clavus Belgice *een exteroog* quasi irritetur, dolet; sed dexteritate chirurgi eximi potest, idem puto in multis papillis in Podagra obtinere, si vero talis inspissatio in spiritu consideretur, qualis non in sanguine, si inflammatoria Diathesis adsit, tum fieret Podagra, & stimulus interne in nervis hæret; si ergo tam subito peccet, unde spiritus non fiunt blandi, & mobiles, tum esset Podagra; ut à Venere fieri potest; hinc dicit quidam senex videns puellas in nave; hi pisces fecerunt, quod sic incedere debeam monstrans in illas, nam baculo se sustinere debebat, quia Podagra laborabat, & sic à vino fieri potest.

§. 1248. Ubi loca à cerebro remotissima sunt, ibi materia tenax facillime stagnare potest, non in nervis laxis, sed semi-alcalescentibus, compressis, ad inferiora impedito regressu occupat Podagra.

§. 1249. Puto quod vitium consistat in effectu ellaborationis ultimæ; nam in nobis, 1. cibus fit

fit chylus, 2. ferum, 3. fanguis, & ultimo fpiritus nervofus; hinc vifcera primæ concoctionis puto effe bona, fed quod illud ultimum non conficiatur, & ratio eft, cur hoc credam, quia vidi aliquem, qui circa articulum habebat tuber ruptum non dolens, ille fumpfit aciculam, & eam ufque ad os adagit in aperturam fine dolore, & hanc cretaceam materiam, quæ vafis minimis ruptis & mutatis fit, eduxit; patet quoque vitium Podagræ non effe in fanguine, nec in fero, quia omnes functiones æque bene exercent, æque ratiocinantur, & æque amant ac antea, hinc fæpe miratus fum *Hippocratem*, ubi dicit Podagra expurgat profunda fanguinis in fenili corpore, nam fi femel paroxyfmum habuerunt, tum per fex menfes plerumque liberi funt & fani, & fic fenes fieri poffunt, imo octuagefimum & nonagefimum annum attingere; ergo malum non in fanguiguine hæret, fed in fpiritu, fed illud ultimum τὸ πνεῦμα fanguinis peccat; hinc ergo curatio requiritur, ut quoque *Paracelfus* & *Helmontius* dixerunt, ut totum corpus reformetur in folidis & reftauretur, & humores corrigantur, hinc hic modus per medicamenta reftaurantia curandus non per purgantia. Subtiliffima vero Podagræ fpecies in Africa graffatur fine tumore, hac omnia ligamenta & vafa circa articulos exeduntur.

§. 1250. Cur viros commeffatores, vinofos, venereos cibis opiparis aromaticis vefcentes ultimo infeftat Podagra; vitia leviffima relinquuntur in ultima humorum coctione, hinc fubtiliffima attenuatio deficit.

§. 1251. Intelligit omnia ultima liquida tam

subtilia fieri, ut perspirent, ut novimus ex *Sanctorio*, si novimus omnes functiones bonas & ultimam hanc materiam tam crassam ut non ita evanescat, hinc oriri Podagram clarum est.

§. 1252. *Paracelsus* quidem dicit se Podagram curare posse, hoc etiam habetur in statua ipsi post mortem erecta, sed hoc forsan inde factum est, quod si quis Podagram accipiat, tum medicus curat paroxysmum præscribendo bonam diætam, & dando Opium paucum, sed tum semen radicale morbi non curat, sed tamen hæc cura medico attribuitur, quod etiam natura sibi relicta perfecisset.

§. 1253. *Hæreditaria.* Hæc curatu est difficillima seu fere non curatur, quia est effectus totius compagis & æque suo tempore accipit, ac feminis secretio in viris; hoc malum causam habet in nervis ita genitis; Tophacea non oritur nisi prius toto sanguine infecto, hinc est pessima.

§. 1254. Nam si à vi vitæ paroxysmus Podagricus futurus, tum quidem venæ sectione tollere possum, sed tum destruo functiones, in quarum restauratione cura consistit; hoc *Sydenham* observavit, si vero talia vitia non committantur, tum cum bona diæta Podagra diu hominem affligere & tamen non interficere potest; hinc puto venæ sectionem esse adiaphoram, id est, scilicet cum plethora est bona, sed si instituatur ad eradicandam Podagram, tum non prodest, quia ibi nempe in spiritus & ultima nervorum attingere non potest; tamen vidi Podagricos bis in anno uno vel altero mense ante paroxysmum misso sanguine dolorem vix accepisse, hinc suadeo venæ

næ fectionem, aliter contra morbum nil juvat.

Casu. Quatenus revellit, quod quandoque bonum, hic erat aliquis, qui omnia, quæ in libris contra Podagram invenit, fecit, fed male, fic etiam invenit electuarium Cariocoftinum fed inde multo pejor factus eft, licet ab *inventore Eugenio* tantum laudetur, ut medicamentum Podagram certo curans.

§. 1255. Quidam purgantibus id effici putant, fed nil agunt, funt multa & mirabilia hic exempla, nefcio, quid agendum fit, an Electuarium Cariocoftinum aliaque violentia medicamenta fint adhibenda, ut auctores dixerunt, multi Helleboro voluerunt eradicare Podagram, fed non fucceffit, fed poteft effe, ut faburra, fi ex ventriculo expurgata fit, ægrum multum juvat, quatenus, ut caufa accedens, quæ Podagram auget, fic purgatio per fe nocet, accidentaliter aliquando prodeft. Hæc omnia nocent, quatenus profunda non attingunt, fed modo, tumultum excitando faciunt, ut non his doloribus fequenti paroxyfmo excrucietur, fed tamen inde non fequitur bonus effectus.

§. 1256. Sudor proxime accedit ad perfpirationem Sanctorianam, fic fudantibus pedibus non infeftat Podagra, quem fudorem levia Diaphoretica non violenta Sudorifera producere poffunt.

§. 1257. *Defluxum ad fua loca.* Hoc eft ad loca remotiffima à corde, cerebro & medulla fpinali, & hoc his locis hærens putant curari avertendo dolorem, fed male; nam *Hippocrates* dicit, quod Podagra fenilis fanguinis profunda expurget, & ex his fenibus nil vitii eft, nifi in his nervis, fi vero quis avertere velit, maxime errat, nam ubi Podagra refilit, tum varii peffimique morbi oriuntur,

ſic erat belli Dux, qui ut credo viginti medicos habebat, omneſque credebant eſſe Peripneumoniam; niſi quod unus famulum interrogavit, an etiam aliquando Podagra laboraverit, dicens quod ſic, & eum jam à multo tempore paroxyſmum non habuiſſe, & circa annum liberum fuiſſe percipiebat, hinc ille facile intellexit, quid rei eſſet, & ſi tum paroxyſmus reſtitutus fuiſſet, quod unicum fuiſſet remedium, & ſic ſanari potuiſſet, ſed ille æger mortuus eſt; hinc Podagra modo extrorſum eſſet trahenda, ut ſe reliquo ſanguini non permiſceret. Hic morbus vocatur Podagra retrogreſſa. Si Podagricis incipiat fieri nauſea, ructus, vomitus, & ſi Melancholici fiunt, tum moriuntur, ſed primo oritur morbus in viſcere principali.

Retenta. Nam ad cerebrum ſi vergat, non dolet, ſed fit Apoplexia, ſi ad cor, palpitationes & mors; ſi ad pulmones Aſthma, ſi ad inteſtina tum Colicos ſeu Iliacos facit dolores, nam ſi podagrica materies aliquando articulum excruciavit, tum ligamenta, oſſa, & omnia vaſa converſa ſunt in veram calcem, & hinc ſi hoc in cerebro fiat, facile videtis, quod inde ilico mors ſequi debeat.

Reſuſcitato. Hinc indubitatum eſt, ſi quis à Podagra retrogreſſa fiat Apoplecticus, & medicus illi ægro venæ ſectionem & clyſmata præſcribat, tum certo moritur æger, ergo ad latus, ſi curetur ut vulgo Pleuritis, cito morietur æger curari autem hæc non debent ut morbi capitales, ſed ut effectus podagræ retrogreſſæ, uno verbo podagra ad pedes determinanda eſt.

Contingit. Nam per hæc omnia æger miſerrime fallitur, Empiricus enim quid applicat, quod nervos occludit, ut materia maneat,

neat, sic oriuntur recitata mala; medicus prudens accedens, quid factum sit videt, scilicet esse tempus maturationis & retropulsam esse Podagram.

Nequeat. Podagra præservat ab aliis morbis, sed in senio non erit vis sufficiens deponendi & pellendi ad loca extrema, hinc dolor minor, sed simul languidi torpidi fiunt, tandemque Apoplectici moriuntur; suffocantur, materia expelli nequit; hinc finis omnium Podagricorum; tum loca sunt insensibilia, & quasi cretacea, callosa, hinc materia deponitur ad viscera; unde citius cadem mala redeunt, nullæ amplius juncturæ sunt, quibus expurgatur materia, hinc quia retinent, moriuntur.

§. 1258. Si vera sint, quæ morbi historia obtulit, ut credibile est de natura, sede & effectibus Podagræ, patet, quod medicus curaturus duo efficere debeat; primo restituendus est vigor viscerum, vigorque nervorum se habeat, ut ante. Secundo adest materia corrupta; hinc requiritur, ut sanguis ab ea liberetur & nervosus humor, si hoc prius fiat, tum non Podagra, sed causa futuræ non præsentis Podagræ tollitur.

§. 1259. Hoc inventum est per omnia experimenta non melius fieri medicamentum, quam ex plantis acribus aromaticis cum melle præparatis, hinc Absinthium, Carduus Benedictus & alii contundantur, quæ faciunt aroma & circulationem augent.

β. Sic sæpe per salem Absinthii, cineres Clavellatos, &c. morbum per tempus distuli; si sumatur Roris marini conserva in vino Rhenano, hoc egregium quoque est.

γ. Ne de novo aliqua oriatur molestia, op-

timum est, si solo utantur lacte, quia in illo jam summa cruditas superata est, hinc non adeo crudam materiam generat.

δ. Pluribus Podagricis summo solatio, hoc suasi, ut omni mane & vesperi pannis laneis calidis & siccis fricentur, imprimis ad juncturas, simplex est remedium, sed vidi optimum præ omni Pharmaceutica & convenit cum Theoria, frictione leni excuti materiam incipientem hærere ad juncturas; sic multos ægros longo tempore adhuc morbo liberavi, nam tum resistentia tollitur, & corpus externe aperitur, hacque ratione multos morbos tollere possemus, sed jam hoc negligitur, sed in calidis regionibus, ubi Lepra grassatur, coguntur corpus apertum tenere ad præservationem, & hinc inde adhuc frictiones in usu sunt.

Somnus restituit nervos nimis siccatos & contractos à dolore.

§. 1260. 1. Hæc methodus mihi familiaris est, quam inveni colloquens cum doctis Podagricis; cum vix iis possem satisfacere, judicavi profuturum, si possem omni mane levem expurgationem cutis facere, ut non hæreat sed excutiatur materia; hinc consului, ut per tres menses omni mane grana duo vel tria (non plus) salis volatilis Cornu Cervi in aqua vel vino hauriant, superbibendo decoctum Salsaparillæ, Absinthii, Sassafras usque ad initium sudoris, vel levis madoris, cogitant subtilissimo medicamento expelli debere, quod optimè successit; hoc medicamentum etiam sumatur in unciis duabus juris carnium, antequam æger surgat; nam hoc reddit corpus perspirabile.

2. Sed vix agit, nisi paulo post pannis laneis

neis ficcis ad inftar genicula vertebrafque fricentur; fi non modo materia tophacea fit nimia.

3. Si corpora mucofa & pituitofa fint, tum binis menfibus ante paroxyfmum purgans tale quavis feptimana ufurpatum, mirum, quantum juvat, v. g. ex Diagrydii granis quindecim vel octodecim cum Mercurio Dulci; hoc optime docuit *Sydenhamus* proprio experimento, deinde fumat æger vefperi unum granum Opii, fi purgans agat, aliter non.

§. 1261. His medicamentis etiam juvat tophacea, non quod tophos tollant, nam eft materia iners callofa, quæ calx cretacea erit, fed impediunt ejus ulteriorem concretionem. Si enim æger fe ab omni vino abftineret, tum puto eum non multum doloris fequenti paroxyfmo accepturum, fed aliter fcio, quod genio inferviens pœnam luere deberet.

§. 1262. Hæc tum adhuc facere licet, fed nil ulterius, & cum magna copia diluentium feu feri lactis feu Coffè bibere debet, fic detur mica panis cum Croco; diluens femper Opio eft addendum, aliter cerebrum inde turbatur, fed hic lac fub alio titulo eft præfcribendum à prætextu, ne æger hoc fubolfaciat, fic v. g. funt addendæ fummitates Betonicæ; folia Virgæ Aureæ; Fœniculi &c. vel ferum lactis aut hydrogala ex lactis parte una & aquæ partibus tribus, aut cum paucis guttis acidi Citri vel decoctum Chinæ, Saffafras, Salfaparillæ, hac ratione optime dolor fedatur, fi verum vefperi non abierit dolor, parum Opii vel Diafcordii detur, hæc methodus eft optima; fic cito refurgunt & in longam ætatem hæc ferunt.

Externis. At unctionibus & cataplasmatibus locus maxime debilitatur, hinc in his nec *Verulamio* nec Empiricis credendum; externa hic non multum laudanda, optima sunt decocta anodyna cum pauxillo Saponis Veneti, Cataplasmata Verulamii cum Croco & Camphora, Sapo Venetus optimus; sed diu in loco jacere non debet. Bona etiam est inventa veterum cum Urticis verberatio; sed non diu continuanda. Balsamus Sulphuris Terebinthinati etiam juvat. Ustio cum Lino prius dolorem creat, qui dein cessat, hinc *Hippocrates* jam dixit, quod Lino pars inuratur & sic alio loco conciliatur dolor, & tum à profundis materia externe elicitur, non vero radicitus curatur.

§. 1263. Nam omnes, qui paroxysmo veniente quiescunt & patienter dolores perferentes lectum componunt, hi per aliquot dies inde alacres & sanissimi resurgunt, qui vero emollientia applicant, his, sæpe partes incurvantur, qui vero Opiata assumunt, his partes exsiccantur.

§. 1264. Vinum maxime vitandum, & victus lautus, animique passiones & quæ parag. 1239. & 1240. dicta.

§. 1265. Vidimus materiam Podagricam esse acrem lentam & dolorem esse expulsionem ejus materiæ vi cordis ad extremas juncturas; si resolvatur vi sua vel mala methodo vel medicamentis pessima mala creat. Si quis certo tempore Podagræ paroxysmum accipere soleat, & ille non veniat sed fit alius morbus gravior, tum cogito modo Podagram esse introversam, hinc tum vesicantia ad femora sunt applicanda, & fermentum panis ad pedes cum sale & aceto, tum ambulet quantum possit,

 imo

imo sæpe cum successu dedi paululum vini Rhenani generosissimi cum succo Citri, nam hic æger est in mortis periculo, hoc vero periculum tolli non potest, sine doloris tolerantia; hac methodo vidi multos servatos, aliter subito pereundos, nam materia nimis acris est. Jubeo etiam in casu, ut æger se in lecto deponat, dein curo, ut parum sudet, applico epispastica ad pedes ex Galbano, emplastro Meliloti, do potandum ex potu tenui, paucis horis, clamant ægri dolorem pedum, simulac pes dolet, caput liberatur & solvitur.

§. 1266. *Quæ si &c.* Hinc Chemici clamant sua renovantia & omnia restituentia, qualia sunt, si vera essent, bona forent, sed talia non dantur.

Cur lac. Si quis solo lacte uteretur pro cibo, solaque hydrogala pro potu, si continuet decem annis, ne unicus paroxysmus Podagræ eum infestabit, si lac recens ab ove melius, si coctum, minus valet, quod clarum est, nam in cocto deficit spirituosum tenue & orbatur viribus ab herbis gramineis impertitis, in omnibus partibus spiritus exhalavit, si frigefactum itidem, quo magis naturale, eo melius, in recenti calido spiritus adhuc adsunt, si ab hac methodo redeat ad consuetum vitæ genus, vidi statim rediisse Podagram, hinc cura lactis non curat radicaliter, sed demit causam naturalem procedentem. Non est, sed & alcalina, calculosa, arenosa, tophacea causa est; hinc in multis à vinosis oritur, in multis ab acribus alcalicis.

Quæ sit ratio nodi? Ubi ligamenta sunt, ibi non est periosteum ossi impositum, sed hoc ligamentis superscandit, hinc quia ibi tum tenuissima sunt vasa & inflammatio & suppura-

tio

tio accedit, hinc vasa comburuntur, abeuntque in cretam per erosionem materiæ acris usque ad ossa, hæcque creta est quasi cinis madidus, glutinosus & omnino siccus. Si nodus sit durus, est tophus, si iam osseus, creta, si jam calx quasi cinerea est; hi gradus sunt, nunquam gangrænescit, quia malum hæret in minimis partibus vix humores habentibus.

Cur podagra? Hæc pessima est, quia omnium minima vasa afficiuntur, & malum hæret in minimo nervo, unde tumor non apparet.

Cur mitior tumens? Quia malum hæret in majoribus vasis, quæ minus sentiunt.

Cur in Podagricis? Si partes consumptæ & quidem nervosæ, unde dolor pendebat & secundo quia materia ad extrema non fertur ex debilitate, sed ad viscera, hinc mors. Si ægri fiant senes, diu habuerunt Podagram, dolorem Podagræ amplius non habent, sed creta ubique est, quia plurima vasa omnino jam in creta conversa sunt.

Intervalla? Quia tum materia separatur, & vasa excepta purgantur, & hac ratione tum adhuc profunda expurgantur.

Cur Cessante &c. Omnes Podagrici circiter per quinque menses liberi sunt ante mortem, & tum Podagra non plane est sedata, sed quasi gruunt, & sic fere semper habent Podagram, sed dolorem parvum infestantem; hinc senibus vix tollitur Podagra; quia semel radicata intime hæret.

An exstirpet? Tale quid se jactat *Otto Tachenius*, qui sane nimis jactabundus fuit medicus, vide *ejus Tractatum de morborum Principe*,

cipe, ibi dicit causam Podagræ esse acidum subtilissimum rodens, hinc esse alcali specificum ei contrarium, absorbens, expellens, sed à nimia rigiditate, Venere &c. quæ causa acris tantum subtilissima & optima ex nervis tollit, hinc lucrum ejus licet magnum falsum fuit; omnis Podagra non est ab acido, nam sæpe deprehendimus aquam ex articulo Podagrico exeuntem esse alcalinam.

Cur Machina Statica? Nam nemo laborat Podagra, quin perspiratio læsa sit, & hoc sentire potest paulo ante morbum, si vero æger nil perspirat, tum notat futurum paroxysmum, tum sumantur lenia Diaphoretica, aquosa, juscula tenuia, ptisana, ut lac, jura carnium, quæ facile sunt perspirabilia & non gravantia hac ratione æger paroxysmi atrocitatem inhibere potest, imo avertere, & in his continuandus est æger, donec perspiratio sit bene facta; hinc optime agunt ægri, si tantum semel in septimana advertant, an materia retineatur, tum adhibenda sunt perspirationem augentia, excutientia, frictiones, levissima Diaphoretica apud *Sanctorium* recitata Podagræ contraria; si ægri redierunt ad idem pondus, tum non accedet dolor.



Morbi Virginum.

§. 1267. Providus licet naturæ Auctor mulieribus stata conceptionis tempora more brutorum non præfinierit, easdem tamen omni

fere momento ad concipiendum gerendumque habiles atque agiles condidit; imo, non minus alendo quam concipiendo fœtui humano prospicere volens, corpora illarum ita construxit, ut & omni hora ipsis ad consuetudinem cum viro aptis, ea vitalis liquidi ubertas atque luxuries à cunctis visceribus gigneretur & excoqueretur, unde utero gerentes tenerrimæ proli sufficiens, alimentum suppeditarent, attamen non gravidæ neque lactantes commode hac superflua fluidi mole liberarentur; & proinde ut liberalissima humorum copia aggregaretur, fœminarum præ viris naturam frigidiorem, transpirationem insensibilem minorem & quam avarissimam, vasa omnis generis, sanguifera, lymphatica, nervosa, adiposa, maxime dilatabilia, minusque elactica, imo integrum corpus totum ex vasis constans, quo ad visum & tactum laxius, mollius atque delicatissimum. Contra, quo felicius mulieres hoc suis temporibus molesto levarentur onere, aspice mollem, pulposum, minus rigidum, liberum minimeque pressum in pelvi, stercus inter & urinam situm uterum, totum vasis atque tubulis excretoriis intertextum, maximeque turgidum, quibus singulis mensibus sanguinis collecta quantitas nomine mensium, menstruorum, catameniorum, sive fluxus menstrui, in virginibus potius nomine florum, quoniam uti fructum flos antecedit, atque arborem minus sterilem, sed fœcundam pronunciat, ita etiam menses erumpentes virginem viro maturam atque ad concipiendum jam idoneam judicant, absque minima virium dejectione, sed potius summa cum euphoria, excernitur.

§. 1268.

§. 1268. Sumo hic ſanam fœminam adeptam incrementum corporis, quæ plethoram accipit & omni menſe deponit.

§. 1269. *Plethora.* Cum calor noſtri corporis ab humorum in ſe mutuo & in ipſa vaſa attritu dependeat, eoque major fiat, quo vaſa magis, magisque reſiſtunt, & quo magis circulatio augetur: porro verum ſit, quod quæcunque vaſa laxant, eademque minus comprimunt vel arctant, corpus noſtrum frigefaciant, uti id ipſum teſtatur aqua etiam tepida in febribus Ardentibus, quatenus laxando vaſa ampliora reddit, attritumque impediendo, refrigerat, ſummopere conducens; dein illud, quod in cacumine montis ob levitatem aëris minus vaſa noſtra prementem, majus frigus experiamur, quam ad radicem ejuſdem, dubium eſſe non poteſt, quin ob texturam fœminarum per ſe, uti diximus, ſatis laxam minusque rigidam, ac circulum ſanguinis imbecilliorem, (quod ex pulſu muliebri clare patet, quam fere langueſcere putes, ſi cum virili conferatur) eoque ipſo tranſpiratione inhibita, foveatur plethora; circulatione enim minus vivide procedente, minor ſanguinis quantitas ad glandulas ſubcutaneas deferetur, perſpirandæ materiei minor ibidem fiet ſecretio & ablatio, major contra humorum in vaſis minus elaſticis aggregatio; imprimis cum alias inſenſibili evacuatione plus auferatur, quam per reliquas ſenſibiles omnes, urinam nempe, fæces, ſalivam, juxta *Sanctorium de Medicina Statica; cibus & potus unius diei ſit ponderis octo librarum, tranſpiratio inſenſibilis adſcendere ſolet ad quinque libras circiter.* Accedit ulterius vita otioſa, motu & labore

labore minus exercita huic operi multum inserviens; qua propter *Hippocrates* optime notaverat, exercitio aliquid humoris abduci; quiete vero corpora graviora fieri, & propter transpirationem avariorem humores intra vasa redundare; cui quadrat, quod mensibus saltatrices destitui scribat *Sennertus*, nec rationi repugnare videtur, quare rusticæ agrestibus laboribus exsuccæ, vix ac ne vix menstrua patiantur. Tandem perspiratione promovente, mirum non est, cur medici in Græcia menses tertium diem excessisse nunquam viderint, dum contra in nostris regionibus utpote frigidioribus ultra sextum, imo octavum diem aliquando extendantur. Cum jam satis demonstravimus causam fluxus menstrui esse ipsam sanguinis abundantiam, nulla habita ratione fermenti alicujus vel tributi Lunaris, spretoque illo utcunque vulgatissimo versiculo:

Luna vetus vetulas purgat, nova Luna puellas.

Ita etiam facillime concipi potest, quod simulac virgo ad ἀκμὴν corporis sui, & quidem citius quam puer ob alimenti copiam pervenit, jam nihil magis in αὔξησιν ejusdem insumitur, hæcce sanguinis uberior quantitas collecta, singulisque mensibus florum nomine expurganda, ob vasa uteri adhuc quasi occlusa, dura assiduitate fluendi nondum dilatata, neque semel rupta (puellæ enim uterum solidum vasisque orbum jurares) tam sæpe retineatur, humores interim à tergo urgentes, magis magisque luxurientur, sicque plethora, plurimorum malorum matre, alita, varie

rie inducantur morbi; nempe calor &c. quo major liquidi laudabilis nondum ſpiſſi neque tenacis copia, majorque vaſorum uterinorum contra cor reſiſtentia, eo largiori rivo ſanguis in ventriculo cordis ruit; ſicque cor propter ſtimulum in conſtrictionem ſui magis ſuſcitatum, majorem liquidi quantitatem ad corticalem cerebri ſubſtantiam protrudet, unde major ſpirituum ſecretio, majorque eorundem iu cor influxus; cordis itaque villis hoc modo in validiorem frequentioremque ſyſtolen concitatis, motus cruoris accelerabitur, hoc accelerato, momentum ſanguinis in vaſorum latera nitentis intendetur, particularumque in ſe mutuo attritu aucto calor & æſtus corporis augebitur, & conſequenter pulſu frequentiore facto febriculam exiſtere erit neceſſe, quæ ſi nimia fuerit, partium tenerrimarum deſtructioni inflammationique producendæ aptiſſima evadet. Rem vidi in juniori ancilla, cui ex emanſione menſium tota ſpina dorſi variis exanthematibus purpureis conſpurcata erat febre Continua utcunque comite. Eodem nunc tempore, quo calor adeſt, à ſanguine malo & quantitate ſua ad rupturam uſque vaſa diſtendente, orietur dolor, qui porinde eo magis uterum vicinaſque partes occupabit, quoniam hicce ſatis liber, nulla ſibi ſuprapoſita corpora habet, quæ cruoris impetum nerveas vaſorum fibras diſtendentis reprimere poſſit; per conſenſum vero lumbos dolere, parique ratione ut in gravidis & calculoſis à preſſione ſtuporem cruribus induci, quia nervos cum utero communes habent, quis negaverit? Mammæ ſunt corpora elaſtica, nulliſque aliis corporis partibus tecta,

cta, libere ex pectore propendentia; quid igitur obstat; quo minus vasa mammaria, cordi adeo vicina æque, imo magis adhuc cruore superflua infarciantur, quam uterina, ita ut Scirrhi instar indurescant, & ad quemvis attactum summopere doleant, imprimis quod magis est, dum hæc vasa non tantum sincero sanguine sed & ipso chylo, postea sub materia lactis prodeunte, expanduntur. Caput denique facillime pertinacissima Cephalalgia infestabitur, quia cerebrum, uti & pars omnium mollissima plurimisque vasis sanguineis referta, ita etiam & horum fibræ, sensu exquisitissimo præditæ, humorum impulsui minus resistentes extensioni summæ magis obnoxiæ erunt. Pallor adest, dum virgines veluti exsangues & emortuæ apparent, omnium morborum Partheniacorum principe Chlorosi proprie dicta afficiuntur: inducitur autem hicce morbus vel à sanguinis quantitate, vel etiam qualitate peccante; quantitate dum fibræ arteriolarum adeo ultra elasticitatis sphæram distenduntur, quo minus sese contrahere, particulas cruoris rubras densissimas (cor enim non tantum sed & ipsæ arteriæ circulationem absolvunt) ad ultimos vasculorum fines protrudere, adeoque cutim colore vivido tingere queant, quod clarius illustratur exempli illarum, qua urinam diutius retentam postà emittere non possunt; atque effata Divi nostri Senis *pallidis mulieribus muliebria multa*; qualitate vero dum sanguis in extremis canaliculis stagnans, naturam servare non potest, sed heterogeneam inducit, adeoque pituitosis, acidis, viscidis, crassis imbutus & obvolutus particulis superficiem corporis fœdo magis quam

quam florido colore depingit, eademque de causa ob teneram transparentem cutim, oculos sub livida corona cingit, eo magis, si consideremus; quod virgines plerumque eodem tempore, quo non rite purgantur, varia absurda, cretam, calcem, carbones, cineres, cespites &c. comedant. Roganti jam, cur imprimis cretam, calcem, gypsum similiaque insolita terrestria appetant, imo ut historiæ testantur, quod singulis diebus tres quatuorve fistulas tabacarias, integraque ostracea vasa devoraverint, huic aliam rationem vix dare potero, quam quod natura acidum illud, quo virginum corpora plerumque scatent, absorbens quærit. Quærenti ulterius quare Anorexia laborent, huic respondeo, quoniam sanguis vitiosa indole imbutus, spiritus minus abundantes suppeditat, quæ ventriculi tunicas contrahere ejusdemque latera supra se invicem vivide atterere, adeoque famis sensum producere, vel si forsan, ut alii volunt, causa appetitus proxima in vellicatione & irritatione ab humore gastrico consistant; dico, hunc humorem à cruore pravè constituto satis vegetum sufficientemque secerni non posse, quo stimulo suo agat, addo huc, virgunculas nonnullas ex mala consuetudine nimioque abusu potus Thée hunc succum abluendo, Anorexiam alere, imo laxando & debilitando fibras ventriculi cruditatem sibi comparare, reddendoque bilem in intestinis inertem, reliquam digestionem labefactare, Cachexiæ, mensium retentorum utcunque comiti ansam præbentes. Sicuti denique plethora facillime eo adscendere potest, ut vasa pulmonum nimis distendendo, vicinasque bronchiales vesiculas comprimendo & angustan-

anguſtando faciat, quo minus aër easdem libere intrare & exire queat, (uti hoc ſatis bene teſtata eſt virgo, quæ ſingulis menſibus fluxu inſtante, tanta Orthopnæa laborabat, ut de vita deſperaret, purgata verò ſaniſſima vivebat) adeoque difficulter peragatur reſpiratio, ita & idem à lentore fieri poſſe, quis non dixerit? huc ſi accedat, quod muſculi intercoſtales, ſpiritibus deſtituti, munere ſuo minus rite defungantur, nec coſtas ſatis valide elevent, rurſusque deprimant, unde parcior aëris ex veſiculis expreſſio, gravior inſpirando pulmonum labor, ſuffocatoque cruore illa confuſa mentis perceptio, qua circulationis finis inſtare videtur, dum conqueruntur ægræ, ac ſi thorax inter duo prela comprimeretur, hæc eſt anxietas ad præcordia. Porro quis mecum non affirmabit? puellas alias tæniis ventrem arctisſimè coercentes, liberum diaphragmatis motum impediendo, eas Phthiſeos (ſiquidem ſanguis in uberioribus partibus accumulatur, ecſtaſi corripitur) prima fundamenta ponere, ac forte gravidas, ne defloratæ videantur abortum ſibi hoc modo promovere. Liquido vitali itaque hac ratione in partibus cordi vicinis ſuffocato orietur in arteria pulmonali & aortæ trunco tanta reſiſtentia, quanta erit particularum copia; quare ſanguis obſtaculo impeditus, quo minus a cordis ventriculis propelli poſſit, intra eoſdem turgeſcet & rareſcet, cor autem pondere hoc aggravatum, per ſpiritus ſtimulo excitatos conabitur liquidum ſuum expromere, interim ob eandem renitentiam à cruore repercuſſo & reverberato denuo in contractionem ſuſcitabitur, unde impetus, qui in ſanguinem per arterias propellendum fieri con-

ſueverat,

fueverat, auctus in cordis fibras magis magisque exercebitur, hinc frequentior, validiorque contractionis norma remissionisque hoc est palpitatio, quam a liquido copiosiori non viscidiori deduximus, licet etiam à posteriori facile explicari queat, considerando nempe spiritus cerebellosos vix sufficientes suppeditari, qui non continuo rivo sed interrupto cursu in cordis ferantur villos. Imo ille, qui primis labris tantum Opticen gustavit, facillime cruoris abundantiam Vertiginis causam agnoscet: si quidem omne id, quod fibrillas thalamorum nervi optici, in quibus visio ultimo fit, plus æquo commovet & concutit, objecta visibilia in variis successive locis, ac proinde gyrantia repræsentat, ita etiam retina ab arteriis ad oculi fundum disseminatis ac sanguine plethorico refertis, commota atque pulsata loco suo dimovebitur; unde radiantis objecti imago moveri quoque videbitur, seu quod idem est, ingruet Vertigo; nunc sequitur, ut dicamus de oculis humidis & caliginosis; prout igitur major liquidi laudabilis abundantia ita etiam in glandulis lachrymalibus major fiet lymphæ secretió, imo tanta copia ob resistentiam vasorum uterinorum aggregabitur, ut omnis hicce humor ordinariam viam quantitate sua per nares transire non potens, qua data porta ruat, adeoque guttatim supra genas defluens, lachrymas involuntarias constituat, similiter à vasis totum nervum opticum coronæ instar cingentibus, sanguine uberiore infarcitis eundem comprimentibus, spirituumque influxum denegantibus, oriatur visus obscuritas, quæ quotidie in febribus Ardentibus observatur, & tum

ſæpe eadem de cauſa in perfectam cæcitatem degenerata viſa fuit. Tandem plethora de die in diem increſcente ob arterias elaſticitate deſtitutas, ſegniorem ſanguinis motum minoremque illius in fibras muſculares derivationem, gravitatis ſenſus prodibit. Imo dum ad illum gradum plenitudinis pervenit, ultra quem illæſa qualitate progredi nequit, ob lentorem acquiſitum, cruor minus aptus erit ſpiritus ſatis vegetos activoſque ſubminiſtrando, quo ſolitos partium motus rite obire queant, unde ſpontanea laſſitudo, & vires imbecilles. Vinculo arteriæ vel nervo injecto hoc ſemper confirmante.

§. 1270. Reſtat agendum de mira ſanguinis menſtrui per loca non naturalia evacutione, dum natura corporis fæminini curam gerens errabunda modo hunc modo illum exitum ſibi parare nititur, quo commode expurgari queat. Hinc alii per os, alii per nares, oculos, aures, ubera, ulcera, digitos, vulnera &c. menſes prodiiſſe viſi ſunt. Sic *Bartholinus* eoſdem vomitu & ſanguinis ſputo rejectos ſcribit, idem habet *Pancirollus* de vetula ſeptuagenaria, cui ſemper ab adoleſcentia menſes citra ullam jacturam & noxam per os excreti fuerunt. De virgine, cui ex oculis lachrymarum inſtar flores effluebant, narrat *Dodoneus*. Religioſæ cujuſdam, quæ ex oculis & cruribus ſingulis menſibus majorem ſanguinis quantitatem amiſerat, meminit *Braſſavolus*. Per mammarum papillas exempla habentur apud *Amatum Luſitanum*. Per ulcera & verticem apud *Pechlinum*. Imo virginem ſummo cum levamine per ſolidam cutim in ſuperficie manus menſtruantem obſervavi. Per minimum manus digitum ſanguinem menſtruum

ſtruum promanantem ſe ter vidiſſe refert *Ludovicus Mercatus.* Adeoque hic morbus eſt duplex, vel oritur à ſanguine menſtruo retento vel a ſanguine reſiſtentiam ad loca naturalia tantam inveniente, ut hanc ſuperare nequeat, unde diverſas à natura vias ſibi facit.

§. 1271. Ante dictum, hoc volo tantum me hic tradere morbos virginum. Denique pro tempore, quo diutius ſubſiſtunt menſes, eo quoquè ſanatio difficilior & laborioſior erit; hinc *Hippocrates* ait menſtrua ſex menſibus ſuppreſſa revocari non poſſe, nec inſulſe videtur ceciniſſe Poëta, dum inquit.

Vidi ego, quod fuerat primo ſanabile vulnus.
Dilatum, longæ damna tuliſſe moræ.

Imo ſi ſero Medecinam paraveris, Atrophiam, Leucophlegmatiam, Hydropem, Sterilitatem, &c. haud procul ab ægra tum abeſſe credat; hinc ſi nata plethora impediatur à quacunque cauſa per uterum deponi, tum hi morbi & infiniti plures oriri poſſunt.

§. 1272. Dabo ſigna, quibus noſcitur hic morbus à cauſa virginea, ſed delirium à plethora, ut viris oriri poteſt, ſed ſciri debet, quod virgini ab hac cauſa oriatur.

1. Si in Itatia puella eſt duodecim, Batavia ſeptendecim vel octodecim annorum, & incidit in morbum non conſuetum, tum hic plerumque morbus eſt.

2. Si Virgo Batava ſeptendecim annorum modo ſit adulta procera, jam laborat menſtruis; & huic talis morbus infeſtus eſt, ſic non annis ſolum verum etiam ſtatu incrementi diſtinguitur morbus Virgineus.

3. Nam an menſtrua habere debeat, medicus determinat a plethora, hinc ſi puella ad nos accedat conſulendum, tum quærimus, quot annos agat, ſi dicit v. g. octodecim, & ſe optime valuiſſe, cum morbum acceperit, ſed ſi dein dicat ſubito patiebar dolores circa lumbos, & tum dein color incipiebat palleſcere &c. & tum morbus inde ortus eſt, ſi vero dicat in initio morbi valde turbata fui, palpitationes accepi & inde tuſſis & menſtrua defecerunt, tum eſt morbus talis.

§. 1273. Hinc ſola cauſarum corrigendarum eſt indicatio.

§. 1274. In obſervationibus *Mauriceaux* de morbis, qui accidunt fœminis ante, in & poſt partum, & apud *Marcellum Donatum* plurimi referuntur caſus, ubi os uteri concretum vel vulnere vel naturali concretione, ignorabatur malum uſque ad ſtatum menſtrualem, tum vero ſanguis ibi effuſus grumeſcebat, ſtagnabat, tumeſcentia fiebat, curabatur vel ſponte ruptura facta, vel manu chirurgica aperto ore, verum medicamentis nil agitur, ſcitur obſtetrice, quæ immiſſa vaginæ manu inveſtigat, an tumor mollis emineat, tum fit inciſio eo modo ut deſcribitur apud *Mauriceaux* immiſſa cannula cum acu, ſic per aperturam factam ſanguine affluente liberantur virgines; uberius apud dictum auctorem videre poteris inſtrumentum & modum, licet hoc raro factum ſit, tamen exempla adſunt, ſi vero ab ulcere concretio uteri facta ſit, ut nonnulli volunt; tum ſpeculum uteri falſo ſic dictum adhibent, & ſic aperire volunt, ſed hæc ſpecula ſunt potius ſpecula vaginæ, per balnea vero commode aperiri poſſunt.

§. 1275. Ad curationem pervenientes, quo meliori ordine procedamus, indicationes quasdam præmittemus, & quoniam Medicus menses provocaturus raro ad ægram accersitur, quin cruoris massa vitium jam contraxerit & lentor adfuerit, ideo eodem modo curam administrabimus ac si materies secernenda & expurganda non adesset, prospiciendo nempe, 1. ut de novo, quæ menses suscitet, instauretur plethora; nam plethora aderat, vasa erant expansa, sed liquor iners, hinc Leucoplegmatia iners pallida, unde mucus aggregatur, qui tollendus est per massam pilularum Ruffi & tum danda sunt Emmenagoga vulgo dicta, vina fortissima cum Sabina, Tanaceto, Majorana, Pulegio, Matricaria, Ruta, Artemisia, radicibus Aristolochiæ rotundæ, seu aliis herbis uterinis, & sic tum sanguis iners movetur; tum tertio determinatio requiritur, quæ fit, si ægra sedeat in balneo seu addito paululum salis usque ad lumbos, & tum pedes fricantur pannis laneis siccis & circa plenilunium venæ sectio instituatur, sic facis, ut vasa inferius plus laxentur sicque horum resistentia a sanguine fluxuro superetur, & venis repletis major sanguinis copia eo versus ruat tum ordinario hoc tempore si detur magnus potus, vel salia volatilia menses fluunt; hinc mucoso sublato, & liquidis deficientibus bonis restitutis & inertia in motum restituta, determinatur sanguis ad uterum.

2. Quæritur, an venæ sectio instituenda est? vidi pessimum inde successum, quia Plethora non aderat, hinc hoc modo tolleretur pauxillum illud sanguinis, quod superest, humor remanens tum non amplius est plethoricus sed Cacochymicus, hinc tum ve-

næ sectio est pessima, sed si virgo adhuc fere plethorica sit, tum mittatur sanguis in pede.

3. Aloe, Myrrha, Ammoniacum, Sagapenum, Galbanum, Opopanax, Asa Fœtida, Bdellium, radices Bryoniæ, Jalappæ, Colocynthis sunt optima purgantia. Denique huc conducunt omnes sales fixi tam simpliciter quam compositi, uti sal Absinthii, stipitum Fabatum, Artemisiæ, sal regneratus Sennerti, Tartarus Vitriolatus; salia volatilia alcalina, uti sales volatiles oleosi, spiritus Cornu Cervi, urinæ & caute adhibenda; omnes sapones qualescunque fuerint, uti mel, oxymel, sapo venetus &c. qui cum præcedentibus conjuncti, mirum præstabunt effectum, ex. gr.

℞. Gumm. Galbani
—— Ammoniac.
—— Opopanac.
Sapon. Venet. ana ℥j
M. F. Pilulæ singulæ gr. IV.

Capiat ægra unam omni bihorio diei superbibendo, cochleare unum sequentis mixturæ ex. gr. Salis Polychresti dragmam unam in Melissæ unciis quatuor dissoluti similisque salis fixi. Digestio in primis viis adjuvanda est, primo his, quæ ventriculum & intestina roborant, qualia sunt omnia adstringentia, & aromatica stomachica proprie dicta, ut Cortex Peruvianus, Tamarisci, cortex & radix Capparidis Magellanicus, Aurantiorum, radix Helenii, Galangæ, Zedoariæ, Zingiberis, semina Fœniculi dulcis, Coriandri, miva Cydoniorum, &c. ex quibus variæ formulæ pro unius cujusque lubitu adaptari poterunt; his

his annumerabitur Elixir Proprietatis.

4. Emmenagoga sunt, quæ aperiunt & sanguinem movent, ut fotus aquæ, balnea, quæ movent, uti & acria aromatica.

5. Emplastris v. g. de Galbano, Asa Fætida, Labdano, Cumino ad pedes vel inguina applicatis, quæ optime sanguinem attrahunt vel ventre infimo unguento Nervino, Martiato, de Arthanita &c. illito; balneis ad umbilicum usque determinatis, hac enim ratione vasa superiora à frigore constricta laxatis inferioribus sanguinem majori vi ad uterum protrudunt. Suffimigiis ex Succino, Asa Fætida, Myrrha, Baccis Juniperi, scoriis Reguli Antimonii &c. in matricem receptis; injectionibus ex herbis emollientibus & detergentibus, foliis nempe Parietariæ, Mercurialis, floribus Chamomillæ &c. hydromelle vel sero lactis decoctis; syringa uterina in usum vocatis Croco, Myrrhæ, gummi fætidis, additis foliis Sabinæ, & mucilagine gummi Tragacanthi in formam pessariorum redactis, filo foras pendulo alligatis, ut extrahi queant, in uterum caute protrusis, nisi innata virginum pudicitia eam præscribere vetat.


6. Post laxationes & balnea, vasa sunt nimis laxata & labefacta, hinc roborantia conducunt; hinc chalybs quoque summum est medicamentum in his, quæ acido abundantes Pica laborant, de quibus præsertim si sequenti modo præscribatur ex. g.

℞. Limat. Chalybis probe triti ʒij
Cortic. Peruvian. ℥ß
Extract. Rhei ℥j

M. F. Pilulæ
fingulæ gr. V.

Capiat unam omni bihorio, fuperbibendo vina Abfinthitis vel Helenitis cochleare unum vel alterum, licet tamen piæ fraudes, dum res appetendæ amaris inunguntur, vel aliis narrationibus adverfæ redduntur, minime funt negligendæ.

§. 1276. Hinc primario fciendum eft, an morbus pertineat ad virginem, tum fi ut alius morbus tractetur, peffundatur ægra, fi non fit morbus virgineus, & ita tractetur, virgo necatur, hinc ad quatuor figna fuperius recitata, quæ docent, an fit morbus virgineus, probe attendendum.



Morbi Gravidarum.

§. 1277. Fæminæ læduntur vel in functionibus, quæ ipfis cum viris communes funt, vel in iis, quæ fæminis adfunt. Ex pofterioribus funt Partheniacæ, de quibus optime fcripferunt medici, fed id habuerunt erroris, quod multos defcripferunt morbos viris communes, non folum illos, qui tantum ex dictis prioribus capitibus pendent, de his actum eft; fecunda claffis eft, morbi gravidarum, ibi iterum eft diftinguendum fcilicet gravidarum morbi tantum vocantur, qui inde pendent, quod mulieres fint gravidæ, & qui proinde ex fola graviditate oriuntur, fed hic erraverunt fcriptores morborum gravidarum, eum morbis virorum & virginum confundentes.

§. 1278. Nemini latet, virginibus quatuordecimum annum circiter in his regionibus attingentibus prima vice prodire menſtrua, quod tamen variat, prout hæc vel illa ſerius vel ocyus ἀκμὴν adepta ſit; cum enim tunc corpus ulterius augeri nequeat, vaſaque omnia eum poſſideant ſtatum, ut ulteriori augmento, non opus habeant, & tamen vis ventriculi & viſcerum χυλοποιητικῶν, & αἱματοποιητικῶν de die in diem adcreſcat, eadem ſaltem, ſi non major ſanguinis copia elaboratur, qua adaucta, requiritur locus, ut hoſpitium ſumat. Nullus in toto corpore aptior eſt, quam uterus, hæret enim in loco libero, pelvi nempe, in inferiori parte abdominis, ſi ita dicere fas ſit, ubi à nullis muſculis vicinis premitur; inſtructus eſt vaſis innumeris ſerpentino ductu prorepentibus; quæ ortum debent a vaſis hypogaſtricis & ſpermaticis arterioſis, unum quodque vas arterioſum duplex vas venoſum habet concomitans; unde cum vas venoſum per ſe parum valeat ſanguinem propellere & venæ uteri valvulis careant & vis illata arterias ſerpentino ductu prorepentes, maxime diminuta ſit, non poteſt non, quin hicce loci patiatur maximam reſiſtentiam, unde venæ extenduntur, ſicque in majori quantitate colligitur ſanguis. Hinc omnino facit amplior pelvis cavitas fœminis; conſule namque Sceleta, hoc primarium tibi exhibet ſignum, utrum maris ſit, vel fœminæ, conſule iterum vivam imaginem, invenies capacitatem hypogaſtricæ & lumbaris regionis majorem in fœminis quam viris, optime hoc notarunt ab omni tempore Apelleæ artis Filii; nam ad utriuſque ſexus nudam perfectam ima-

imaginem depingendam, in Venere Græca ſumunt partes ſuperiores ad duas partes vero hypogaſtricæ & lumbaris Regionis ad tres, contra in Hercule. Ex dictis nunc patuit, quod ſi major copia conficiatur; hicce locus aptiſſimus ſit ad eam capiendam, verum & ſanguinem huc majori copia ferri, paucis probabo: obſervavit nempe *Clariſſimus Pitcarnius*, Aortam deſcendentem reſpectu adſcendenis, majorem habere proportionem in fœminis quam in viris, & contra in viris Aortam adſcendentem, reſpectu deſcendentis, majorem habere proportionem quam in fæminis, unde pergit his verbis: *Hinc maribus major ſeparatur dato tempore copia ſpirituum animalium &c. deinde hinc ſequitur neceſſario majorem molem ſanguinis ad inferiorem ventrem ferri in fæmina; quam in mare*, quem in finem docebit *Freynd* evidentiſſime, *eo utique naturæ conſilio, ut non modo ad muſculos excludendo fætui inſervientes, ſed ad uterum etiam, in quo fovetur, & enutritur fœtus major ſanguinis copia deferretur, quæ quidem vaſorum multitudo facit, ut non alium quemvis, niſi per uterum ſibi exitum quærant menſes.* Hæcce nunc ſi vera, uti ſunt veriſſima, conſtat ſanguinem ſuperfluum in muliere, ad ἀκμὴν perductum, accumulari & colligi in vaſis uterinis, cum nunc hæc accumulatio duraverit per menſem, gravitate & continua preſſione ita dilatentur oſcula vaſorum, tam in utero, quam ejus vagina potentia, ut ſuperata reſiſtentia ſanguinem tranſmittant primo initio quidem cum impetu, dein vero lentiori & moderatiori motu tamdiu excernitur, donec plethora imminuta ſit, unde nimia illa preſ-

ſione

ſione ſublata; vaſa cum ſervent elaſticitatem, ſeſe iterum contrahunt, hoc ſi factum ſit, iterum de novo aggeritur ſanguis uſque adeo, ut eadem ac ante ſanguinis copia adſit, & de novo eadem ac ante efficiat, multo tamen minori cum dolore, cum viæ ſeſe jam ad ſanguinem tranſcolendum accommodarunt. Tempus conſuetum eſt unius menſis Lunaris, unde nomen; typus vero maxime variat in hac vel illa, prout plus minuſve ſit plethorica, hincque & in hac vel illa diutius vel brevius fluunt, in eadem vero fœmina ſi nullum commiſerit vitium in rebus ſex non naturalibus, bonique ſit habitus, conſueto die & hora recurrunt, certo plane argumento per omne id tempus omnia viſcera optime ſuo fungi munere, minimum vero vitium, ſi tantum alicujus ſit momenti, in cauſa eſt, ut ocyus vel tardius provocentur, vel ſi majus fuerit plane retineantur. Tria ex hiſce ſequuntur Corollaria primo nullum dari fermentum efficiens evacuationem menſium, ſecundo neque Luna procreat menſium fluxum. Tertio ſanguinem menſtruum non eſſe venenatum; ſed potius eſſe inſtar ſanguinis victimæ. Menſtrua vero non fiunt in gravida, ubi menſes retinentur, hoc inde fieri pro comperto habeo, quod licet eadem & chyli & ſanguinis copia elaboretur, idemque detur locus, ubi colligitur, tamen aliquid, licet parum, à fœtu conſumatur, & pro ſecundinis impendatur; hac enim plus incrementi capiunt primis menſibus, quam ipſe fœtus, conſumptio hæc augetur de die in diem, ita ut primo menſe preſſio & arietatio in vaſa ſe deplere conſueta, non ita enim animadvertatur; copia enim non erit tanta, ac ſi non fuiſſet gravida:

tamen; quando prima vice fluere debent, si non est impraegnata, quosdam patitur dolores in locis consuetis, nec mirum; omnis enim sanguis nondum à foetu consumitur, unde, quaedam quidem arietatio in haecce vasa, verum non tanta, ut capax sit molem illam, id est, elasticitatem vasorum superare; &, per consequens, sanguinem per illa loca expellere. Sed ulterius prosequamur gravidam usque in secundum à conceptu mensem, videbimus eam conqueri de dolore immani, & lancinante circa easdem partes, non mirum revera, cum jam major sanguinis copia sit collecta, & foetus tamen pauco indigeat alimento: hinc cum ita minores existunt, tanta, si non major sanguinis copia erit collecta, quam quidem primo mense, si non fuisset gravida; expressione foret eadem verum, provida natura duce, portio quaedam ad placentam pellitur, cum vero & omnis sanguis ob tenellum foetum & vasa non satis ampla ibi nondum contineri queat, portio alia reiterat arietationes & pressiones in vasa se deplere consueta; hae vero non sunt tantae, ut omnium elasticitatem superent; minorum vero quorundam utpote minus resistentium superatur elasticitas, unde haec vascula, quasdam paucas guttas transcolant, certo plane argumento, quod plethora adsit, verum quae vis allata jam ad dimidium ad minimum diminuta: omnis enim sanguis qui fertur ad vasa excernentia, non valet superare resistentiam. Porro tertio mense elapso, non tanta fit pressio vel arietatio, unde tum non ita frequentes fiunt abortus, vasa namque uteri, tum plus se accommodarunt ad om-

nem

nem sanguinem accipiendum, & in bonum fœtus conservandum, qui hoc tempore liberaliori indiget alimento, quo enim fœtus plus increscit, quo uterum plus distendit, quo uterus plus distenditur, quo plus accrescit in mole, & quo omnia vasa fiunt ampliora.

§. 1279. Non nullæ mulieres si conceperint, habent genus nervosum adeo facile irritabile, ut mox cum conceperint, tum à motu isto in animi deliquium, convulsiones &c. incidant.

§. 1280. Omnes hi morbi tantum oriuntur, quia nimia sanguinis copia retinetur, & ausim dicere me hos morbos certo sublaturum venæ sectione.

Nausea. Est inanis vomendi conatus cum quodam horrore; hæc agnoscit pro causa proxima leviorem faucium, æsophagi, ventriculi ut & musculorum abdominalium convulsionem; causa remota invenitur in sanguine aucto & mutato, aucta quatenus vasa sanguinea nimis repleta nervos premunt, unde iter spiritibus præcluditur, & his non influentibus in musculares fibras producitur convulsio.

Vomitus. Est invita & violenta contentorum in ventriculo & intestinis per os rejectio, hæc pro causa proxima admittit convulsionem earundem partium, ut & diaphragmatis & intestinorum; sanguis hic auctus vel mutatus iterum suam ludit scenam; cum enim sanguinis copia fuerit adaucta, ita obsidentur latera vasorum ventriculi, ut distendantur, unde fibræ nerveæ à se invicem recedere coguntur; cum nunc omnis disten-

ſio nervi efficiat dolorem, & omnis alicujus momenti dolor efficiat convulſivam contractionem, ſequitur exin facile, quod hinc oritur convulſio fibrarum muſcularium ventriculi, & hinc cæterarum partium: ſic & ab altera cauſa oritur convulſio; primo ſi ſanguis fuerit reductus in eum ſtatum, ut per ſtagnationem & moram viſcidus & lentus fuerit factus; unde iterum minima ventriculi vaſa permeare non poteſt, hincque facit ob compreſſionem nervorum vicinorum convulſionem, præprimis id patet, ſi ſecundo mecum conſideras ventriculum & diaphragma iiſdem vaſis & nervis donari, hinc ſi nervi ventriculi premantur, nervi diaphragmatis, quod ab ea parte, ubi ventriculo incumbit, mere eſt nervoſum, ita in conſenſum trahuntur, ut fiat convulſio & per conſequens vomitus, tertio cum jam vidimus, quod digeſtio primis menſibus non bene procedat, hinc ſine dubio quædam particulæ crudæ remanebunt in ventriculo, quæ ibi acredinem quandam acquirunt, quæ pro aſſumptis variat, acredo tamen hæcce præprimis obſervatur acida, unde iterum ob irritationem & inclavationem ſpicularum acrium in partes nervoſas oritur convulſio & vomitus; nihil enim frequentius, quam quod fœminas conqueri audiamus de acido, & quod evomunt, acerrimum acidum redolet; ab hac cauſa oriri iterum ex juvantibus patet, cum aromata, ſalia ſpirituoſa volatilia ut & terræ quædam abſorbentes his ita proſunt; quarto fit etiam vomitus ea de cauſa, quod cum uterus de die in diem extenditur & adſcendit in abdominis cavum, hinc ita premuntur viſcera abdominalia, ut motus periſtalticus fiat inverſus, ſicque etiam

etiam producatur vomitus, quem hanc ob causam observatum video à *Mauriceau*, qui notavit enormem vomitum ob ingentem fœtum 8½ gestationis mense, eumque per sex vel septem dies durasse.

Prostratus appetitus. Est a cibo & potu abstinentia cum nausea, verum & definitur, quod fit fastidium ab his illisve cibis, ita ut non semper integram indicet inediam. Primo fit ea de causa, quod sufficiens ad secernendos spiritus sanguinis copia non feratur ad cerebrum & cerebellum, unde minor spirituum confectio, hinc minor spirituum influxus in ventriculum, unde sensus famis non excitatur; sensum famis hinc dependere nemo dubitat: hinc me converto ad alteram causam, cum etiam satis prolixe exposui sanguinis viscidítatem, patet, licet sanguis sufficiens feratur versus cor, & cor, quod tamen hic sanguis non aptus sit ad spiritus secernendos, cum primo præ viscidítate non poterit intrare minimos canales & secundo cum majora ita distendantur, ut minora premantur, unde iter spirituum intercipitur. Tertio & eadem viscidítas ita obsidebit latera ventriculi, ut licet aliqui spiritus influant, illi membranam villosam stimulare seu ad famem excitare nequeant, præterquam quod & ipsa oscula, per quæ & liquor gastricus & spiritus influunt, hic occlusa sunt, unde quibusdam forsan apertis, quædam fiat appetentia, verum tam parva, ut ipsæ nesciant, an quid appetere velint nec ne; quarto huc accedit, quod, cum minor fiat sanguinis consumptio, vasa sint maxime repleta, unde diutius sine cibo subsistere possunt, fœtus namque parum trahit, perspiratio maxime labefactata est, qu d

quod patet ex gravitate & torpore, hinc non tam ſæpe appetunt, & ſi quid tale plerumque, quod parum, chyli continet, & magno digeſtionis molimine non eget, ſic enim plerumque pergunt uſque ad tertium quartumve menſem, quo tempore ſenſim appetitus redit, imo tandem ita adaugetur, ut ſæpius de die aliquid ſumere cogantur. Hic vero aliquis mihi objicere poſſet, cur appetitus ulterioribus menſibus magis viget, cum tamen uterus impediat, ne muſculi abdominis in reſpiratione premant inteſtina, unde chylus adigitur in lactea, hoc enim requiritur, & cum Cachexia hæc hoc tempore graviditatis ſuperari nequit per medicamenta, cum maxime alterantia & evacuantia requirantur, quæ hic maxime nocent? Sed reſpondeo primis menſibus non viget ob dictas cauſas, ulterioribus vero redit non ſolum, quia fœtus indiget pleniori victu; nam hoc ſolum non ſufficit, hoc enim nil facit ad robur vaſorum & viſcerum, hinc niſi quid eſſet, unde viſcera χυλοποιήτικα roborarentur, unde chyli hincque ſanguinis confectio adaugeretur, præ penuria moreretur fœtus, hinc hoc tempore uterus diſtentus muſculorum abdominis munere fungitur, adſcendit namque ita, ut ultimis menſibus ad trium digitorum circiter latitudinem, ſupra umbilicum emineat, hincque occupet ſpatium, ubi in ſtatu non gravido inteſtina jacebant, inter uterum nunc & diaphragma omnia inteſtina contineri nequeunt, unde ſub utero reconduntur, hincque uterum incumbens non ſolum ob pondus, verum & ob motum factus, fungitur munere muſculorum abdominalium, qui tamen huc attribuunt omne quod poſſunt,

unde

unde cum in arcum quasi distentæ sint fibræ musculares abdominis, sese in minus spatium contrahere conantur, quem motum tunc communicant utero iisque iterum intestinis unde intestina continuo quasi fricantur, unde majus robur acquirunt, hinc nisi ventriculus nimis impleatur cibis, optime peragitur chylificatio, unde pluries de die aliquid sumere convenit, si vero maxime sit distentus & plurimum simul ingurgitant, maxime premitur & à diaphragmate & ab utero, & à reliquis visceribus, ut motus fiat inversus unde nausea, & præprimis vomitus, unde & tum ructus, & flatus fiunt frequentes; si ut dixi vero modice & sæpius assumant, optima fit digestio, motus peristalticus augetur, omne quod liquido in chymo superest pondere & motu emulgetur & in lactea adigitur, unde ventriculo vacuo, latera ejus, quia ubique premuntur, sensum famis percipiunt, sicque appetentia adaugetur, & hæcce fiunt non obstante Cachexia, quod tamen contrarium videmus in iis, quæ sola suppressione mensium laborant, ubi appetitus continuo minuitur; verum quomodo gravidæ ab hac Cachexia liberantur? non liberantur tempore graviditatis, verum aliquando novo chylo & sanguine levatur, ne in pejus ruat; postquam vero mulier enixa est fœtum, ubi lochia rite fluxerunt, sponte curatur, hincque videmus, critica quasi evacuatione hac bene peracta, fæminas aliquando salubriores existere, quam ante graviditatem; si vero non bene peracta fuit lochiorum evacuatio, per multum temporis, imo aliquando per totam vitam languent, & facillime in hujus illiusve partis quinimo totius corporis Hydropem incidunt.

Animi deliquium eſt pulſus reſpirationis & virium labefactatio ut & ſenſuum omnium imminutio. Notum eſt, ut maneat vita ſanguinem debere fluere in cor, per cor, & ex corde; ſimulac motus cordis incipit minui, vita minuitur; motus cordis minuitur triplicem ob cauſam, vel quia venæ non adferunt ſanguinem, vel quia arteriæ coronariæ non accipiunt ſanguinem, vel quia ſpiritus non influunt in cor. Quomodo animi deliquium hic poſſet oriri à cauſa, quod venæ non adferant ſanguinem, cum tamen in præcedentibus abunde demonſtravi plethoram adeſſe, multis forſan paradoxum videbitur, cum revera nihil miri nec falſi in ſe contineat, en conſidera quæſo mecum primo animi deliquium præprimis fieri in molli & tenera corporis ſtructura præditis fœminis, virgines enim, ruſticæ & laborioſæ raro de eo conqueruntur; ſecundo, quod potiſſimum fiunt tunc temporis, quando ventriculus vacuus ſit, quod rariſſime fieri puto, verum tum temporis vacuum voco, quando ingeſti cibi & potus eam mutationem paſſi ſunt, ut in chylum converſi, per lactea trajecti, ſanguini in ſubclavia ſiniſtra fuerunt affuſi, hocque plerumque fit poſt ſeptem vel octo horas ab aſſumpto cibo; potius nunc in gravidis, ubi per demonſtrata patuit viſcera tam χυλοποιήτικα quam αἱματοποιήτικα labefactata eſſe duodecim vel quatuordecim ab aſſumpto cibo horas exigi, ut omnis cibus ſit concoctus, in chylum tranſverſus & ſanguini admiſtus, invenies illud eſſe tempus matutinum, cum non niſi veſperi præcedenti aliquid in cœna aſſumpſerunt; de die enim non ita frequens obſer-

obſervatur animi deliquium, quando ſæpius aliquid cibi aſſumere coguntur & cum quatuor ab aſſumpto cibo horis perſpiratio minime procedat, non ita diſpenditur, noctu vero optime peragitur, videatur *Sanctorius* qui enumeravit quot libræ primis horis, & quot à quinta usque ad duodecimam ℔ materiæ perſpirabilis exhalent, ubi viſuri ſitis quam modica copia a duodecima ad ſextam decimam horam exhalat, quantum diſpendium patiuntur tempore nocturno, exinde patet; mane ſurgentes nauſea & animi deliquio infeſtantur; cum nunc abundans ſanguis, & quidem viſcidus adſit, illa parva portio ingeſtorum non erit ſufficiens, ut totum ſanguinem mutet in bonum, hinc & eundem ac jam præſens induit ſtatum, cum nunc nihil adſit, quod ſanguinis motum per ſe augere poteſt ex vaſis uterinis, niſi parva vis à corde allata, eaque omnem illam molem non valeat propellere verſus cor, ſequitur quod minori, quam par eſt, circulatione fertur ad cor, unde corde non recipiente ſanguinem, eum propellere non poterit, hinc & arteriæ coronariæ ita diſtenduntur, hinc & arteriæ carotides & vertebrales deſtituuntur ſuo ſanguine, unde copia ſufficiens ad ſecernendos ſpiritus non fertur ad cerebrum & cerebellum, unde minor ſpirituum ſecretio, unde minor ſpirituum influxus in cor, unde actio cordis minor, id eſt, vita incipit deficere; Taceo nunc, quod præ lentiori illo motu facillime quædam polypoſæ concretiones oriri poſſint, unde cordis ventriculi ita obſidentur, ut hinc circulatio non modo minuatur, verum pro tempore penitus quaſi ceſſat, ita ut

nullus

nullus animadvertatur pulsus, & tandem sequatur æternum animi deliquium, id est, mors. Hæc omnia probantur unico illo argumento, quod à nullo remedio melius hoc malum debellatur, quam à levi aliquo aromatico, quod circulum sanguinis iterum obliquo modo auget, ut copia iterum suppeditetur cordi, unde iterum cerebrum & cerebellum accipiant, unde spiritus gignant, sic enim vinum Hippocraticum, aliudve aromatizatum, uti & sal volatile oleosum Sylvii cum pauco vino datum, cæteraque ejus generis tam cito superant hoc malum.

Vertigo dicitur, cum circumrotari videantur objecta externa, simul cum membrorum vacillatione. Hæc pro causa agnoscit plethoram, cum nunc sanguis abundat etiam vasa, membranam nervi optici & nervum ipsum perreptantia majorem accipient sanguinis copiam, ex nervo optico nunc fit tenuis tunica retina, vasa hinc hic loci sunt tenuissima, unde omnium facillime obstructionem patiuntur, unde sequitur, cum tunica retina sit primarium visus organum, quod radii, ab objectis emissi, incidentes in loca jam obstructa, non videntur perfecte, verum cum oculus continuo moveatur, & in circulum rotetur, videntur nobis objecta externa rotari, obstructionem hanc facilitat sanguinis lentor, & sanguinem huc majori copia ferri, manifestat ipsa vertigo, accidens eo tempore, ubi corpus anteriora versus flectitur, uti id plerumque in plethoricis animadvertimus, sunt enim ut plurimum vertiginosi & proclives in Apoplexiam, adde his, quod itidem visus turbatur ob irregularem spirituum influxum.

Dolores

Dolores stomachi &c. Cum ex uno eodemque fonte originem ducant, eos simul tractare decrevi, differunt etenim non nisi respectu loci, nervi enim oriuntur à pari vago, qui vero ad uterum tendunt, ex lumbis ramos accipiunt, hinc uno loco nervus, si compressus sit, facile per consensum afficitur alio loco, sic, v. g. dolores renum facile pertingunt ad vesicam; verum dolores stomachi frequentes sunt in gravidis, quod testatur *Forestus*, sic è sanguinis copia oriri posse dolorem stomachi docet *Fernelius*; uti hic loci dolores oriri possunt præ copia aucta, sic etiam à qualitate mutata, & à pondere vel nimio motu fœtus, quod puto esse evidentissimum.

Anhelatio. Causam agnoscit sanguinis quantitatem auctam & mutatam; cum enim in gravidis menses deficiunt, nullaque alia augeatur evacuatio, sequitur, quod Plethora adsit, qua, prout vasa uterina plus minus repleta sunt, cætera etiam vasa plus minus replebuntur, imo forsan major copia fertur ad cor dextrum, hinc per arteriam pulmonalem, ubi ad angustias pervenerit, cum ex prægressis, satis fuse demonstratum sit, sanguinem etiam qualitate peccare, ibi plus renititur, cum ibi renixum patiatur, quandam licet levem obstructionem brevi pariet, hinc vesiculæ aëreæ, quarum membranæ ex arteriis & venis constant, comprimuntur, seque expandi non patiuntur, ex figura sphæroidea non in sphæricam mutantur, quod tamen requiritur, ut respiratio rite procedat; præterea cum idem lentescens sanguis feratur per musculos intercostales, cæterosque respirationi inservientes, hinc

hinc & ibi sistitur pro tempore, id est æquabili circulatione non transmittitur, illo tempore illi musculi, qui dilatando thoracem inserviunt, non poterunt suo perfungi munere, unde thorax non ampliatur, pulmo non expanditur, hincque sufficiens aëris portio non intromittitur: novimus enim, ut actio musculorum fiat, requiri & spirituum animalium & sanguinis arteriosi influxum regularem; qui hic deficit, spirituum enim iter impeditur, & sanguis viscidior obstruit minora vasa; quod ulterius probatur sequenti, anhelationem nunquam, rarissime saltem fieri dum quiescant, verum dum se plus solito moveant, unde tum circulus adaugetur, tum majori vi appellit ad valorum fines, ubi præ lentore non ita transmeare potest, unde tum anhelatio; tandem si nos vertamus ad cerebrum, possunt & ibi in minimis fieri obstructiones præ quantitate vel qualitate, hinc compressiones ad initia tubulorum nervosorum, unde iter spiritibus præcluditur.

Dyspnoea. Uti parum in definitione, sic & in causis parum ab anhelatione differt, easdem plane agnoscit causas, quibus poteris addere, quod uterus jam extensus assurgit in abdominis cavum, prout fœtus plus minus increscit, hinc omnia contenta abdominalia premuntur sursum, unde magna resistentia oritur diaphragmati, quod hinc in inspiratione eo usque cedere non potest in abdomen, ut cavitas thoracis augeatur, hinc pulmo non expanditur ad majorem aëris copiam hauriendam, unde tum anxietas, dyspncea, adde insuper hisce, pectus mulierum esse magis plenum & depressum cartilaginesque costarum ad sternum in viris, esse affeas in sexu sequiori.

Abortus

Abortus cum sit primarius gravidarum morbus, omnes etiam antea enumeratas agnoscit causas; & à solidis & à fluidis, à sanguine aucto & mutato, ut & à vitio solidarum partium matris & foetus. A sanguine adaucto quomodo producitur, ex jam dictis constat, distensione nempè vasorum uteri & placentæ, unde ita tandem à se invicem recedunt, ut, soluta continuitate vel contiguitate oriatur fluor uterinus magnus, qui si aliquandiu durat, producit foetus immaturi exclusionem, id est, abortum. Quantitas imminuta producit abortum, primo quando gravida jam ante conceptum tenella exstitit, vel secundo ubi magnæ quædam evacuationes sunt prægressæ, unde foetus destituitur alimento, v. g. post menstrua nimis fluentia, post assumptum purgans, post Dysenteriam, post vomitum, post hæmorrhoides largiter fluentes qualitas mutata; cum jam ex prioribus constitit, quomodo lentor seu viscidìtas inducatur sanguini, me satisfacturum arbitror, si demonstravero, quo pacto hinc abortus produci queat. Notum est, ut foetus in utero materno sanus sit, requiri, ut alatur bono & laudabili nutrimento; mater ipsa nunc eo destituitur, impossibile foret haurire posse bonum alimentum; deficit enim vis viscerum matris, imo aliquando ita Picâ laborat, ut absurda plana appetat, quæ minime in bonum chylum, multò minus in bonum sanguinem converti possunt, hinc ea vel indissoluta manebunt, vel suam propriam servabunt indolem; hincque quo minus laudabile alimentum a matre assumatur, quo etiam major oriatur humorum à statu sano abalienatio, foetus fit debilis, destituitur namque bono alimento, unde moritur, & tum statim

tim ejicitur, ut pondus naturæ molestum, quod in hoc casu tum optimum, vel per multum temporis retinetur, & corrumpitur, unde tum matri maxima & incurabilia patrat mala; hæcce vera esse, quod fœtus ob commissa matris patitur, probatur, quod fœtus multis malis, quibus mater affligitur, itidem corripitur, cujus rei plurima exstant exempla, v. g. variolosi, lue Venerea laborantes editi sunt, sic fœtus laborare in utero morbis satis gravibus clarissimè docet *Hippocrates*. Partes solidæ matris, ut causa abortus existunt, quando sunt vel nimis rigidæ vel nimis laxæ; rigidus enim uterus increscenti fœtui satis cedere nequit, unde incrementum debitum non acquirit, verum moritur, vel monstrosam adipiscitur figuram, hincque expellitur; à laxitate iterum, quia partes minimo motu & pondere ita dilatantur, & cedunt, ut fœtum continere nequeant; ab hac causa fieri docet evidentissimè *Hippocrates*. Præterea uterus scirrhosus vel male conformatus, v. g. bipartitus &c. Sic partes vicinæ peccant, quando male sunt dispositæ, luxatio vertebrarum lumbi, pelvis cavitas nimis arcta &c. fœtus ipse procreat abortum, quatenus ita appellit ad placentam, ut disrumpat vasa uterina & placentæ, unde placenta avellitur, & sic procreat fluorem uterini sanguinis non sistendum, nisi & fœtum & secundinas educendo, iterum quando placenta scirrhosa est facta, uti & observavit *Mauriceau*, quod quinquies in eadem fœmina abortum excitavit, sic si funis umbilicalis sit nimis brevis, uti id observavit *Hildanus*. ἐκβολὴ seu falsus ejus conceptus vocatur, si mulier intra secundum mensem ejiciat ovum sine fœtu visibili. Est abor-

abortus post secundum mensem si fœtus visibilis rejiciatur fere tertio menstrui fluxus ordine insequente, eo tempore quo menstrua erumpunt, sunt abortus rari post tertium mensem nisi à causa violenta; si mulier se assuescat pauco tempore cursui, illa secundo mense abortiet, causa est, quia mater plus sanguinis facit, quam fœtus consumit, unde plus sanguinis ad uterum fertur, hinc ovum vacillans exit.

§. 1281. Omnia dicta à sola plethora oriuntur, ergo tolluntur una causâ sublata scilicet venæ sectione; quot mulieres perierunt, quia *Hippocrates* scripsit gravidis venam non esse secandam, si mulieri, quæ non multum sanguinis confecit, sanguis mittatur, jugulatur mater & fœtus, si verò mulieri ante sanguis multo fluxerit, & sit plethorica & gravida, miseris sanguinem, abortiet, sæpeque simul mulier peribit hæmorrhagia uteri, si multum sanguinis ante deponere consueverit, sed notatur, quod sanguis per tres menses distentus non amplius sit bonus, hinc morbus fere contrarius.

§. 1282. Venæ sectio indicatur, si corpus plethoricum, antea largiter menstrua passum; in quo tamen instituere debemus ad sequentia.

Locus semper sit in brachio, nunquam in pede; in pede enim instituta venæ sectione maximam & subitaneam producit revulsionem, quæ summopere hic metuenda, nimio quippe impetu sanguis inferiora peteret, unde cum arteriæ uterinæ & crurum, ex una eademque primam ducant originem, vasa uterina destituerentur suo liquido, unde præ penuria liquidorum vel fœtus moreretur, vel vasa ita colla-

bascerent, ut sibi invicem complicata quasi; deinde nil amplius admitterent, nil enim plus fecit ad consolidationem, quam si latera sibi invicem applicentur, si nunc minora destituerentur suo liquido, majora tamen repleta comprimerent ita minora, ut non admitterent sanguinem: scimus præterea nutritionem fieri per minima & in minimis, hinc hæcce sibi invicem implicata destituerentur non modo succo nutritio, verum rigescerent, unde & pro hac vice & pro sequentibus evaderent inepta ad munus perficiendum: præterea subitanea illa revulsione circulus ita mutaretur, ut minora avellerentur, unde abortus, hæcce vero non metuuntur, si in brachio secta fuerit vena, cum tum circulus aliquando tantum intercipiatur, ne tanta copia, tantoque impetu pellatur versus uterum, & si ullibi, revera hic loci, verissimum est, quod omnis subitanea mutatio sit pessima, contra in suppressione mensium ab omnibus auctoribus suadetur in pede venæ sectio.

Tempus definitur. præprimis secundo vel tertio à conceptu mense, id est octiduum ante, quando, si non fuisset gravida, secunda vel tertia vice menses instarent; urgente vero necessitate etiam sequentibus licet instituere, ut *Mauriceau* & alii testantur, sic omni gestationis mense maxima cum utilitate instituta est., à partu difficili & fœtu mortuo præservavit eadem, si octavo gestationis mense celebrata est, imo ultimis mensibus in periculosissimis casibus, ita ut tempus præcisum determinari nequeat, virium namque matris semper habenda est ratio; primis tamen mensibus maxime requiri colligere licet ex *Mauriceau*.

Copia

Copia determinatur prout fœmina plus minus fuerit plethorica, prout menstrua habuerit largiora vel pauciora; prout vires matris plus integræ perstant; in plethorica enim plus licet detrahere primis mensibus, quam mediis vel ultimis, quando fœtus major, liberaliori indiget alimento, attamen prostant exempla plurima, ubi gravidæ sexto, septimo & aliis mensibus hæmorrhagiam uteri passæ fuerunt sine noxa, sic *Mauriceau* observavit quarto gestationis mense hæmorrhagiam ex muliebribus, ubi tamen nono mense prolem sanam enixa fuit, sic alia sunt exempla ultimis mensibus: an ne hi fluxus ex vaginalibus vasis producti fuerint, & quidem in plethoricis, hoc vobis judicandum reliquo? in gravida vero, quæ tenella existit, non ita tuto secatur vena, aliquando tamen, si symptomata urgeant, quod ex functionum læsionibus manifestè apparet, ubi aliis remedis malum superari nequit, secetur vena, parca copia effluat sanguis ad uncias duas, tres, vel quatuor, prout indicationes requirunt, quod idem etiam in præcedenti casu intelligi volo, ne Medicus sit nimis audax, *interest enim, non quæ ætas sit, nec quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint*; hoc *Celsus* dixit, omne nimium enim irreparabile vitium excurrit, præprimis in hisce fœminis, unde *Hippocrates* utilissimum illud præceptum dedit, ne fœminis vena secaretur, quoniam medici suo tempore largiter sanguinem mittebant, hinc protinus abstinendum esse dixit, quanta vero mala hic commissa sunt ab iis, qui *Hippocratem* non bene intellexerunt, quis nescit.?

§. 1283. Cibi tales sunt panis bene fermentatus; biscoctus, lacticinia optime nutriunt, nam solo sero lactis puellam ad decimum sextum annum usque educatum se vidisse refert *Bruyerinus*, si hæcce nolint, sumant jura carnium juniorum animalium parva copia sæpissime vero de die, e. g. jusculum carnium Vitulinorum, coquatur cum Hordeo, Avena, vel Milio, Scorzonera, Endivia, Lactuca &c. adde aliquid Maceris & unum vel duo vitella ovorum, sumant omni quadrantis horæ spatio cochlearia duo vel tria, citissime digeritur, & nutrit, si aliquo modo tantum vis viscerum, cibos in chylum & sanguinem convertentium peistat; convenit talis diæta, ubi magnæ quædam evacuationes sunt prægressæ. Per potum intelligo cibum liquidum, qui sub forma potus assumitur, quia felicius & citius nutrit; hinc ne vires matris deficiant, unde periclitaretur fœtus, ngerantur talia, quæ amissum supplent, quo præterea, ut hæc felicius fiant, conveniunt ligaturæ brachiis & cruribus circumductæ, ut sic immodicus sanguinis fluxus, si adhuc dum durat, prohibeatur, sanguis in corpore retineatur, ut recens confectum Chylum in sui ipsius indolem convertat: pinguia vero hic maxime nocent, quia vis viscerum nimis debilitatur; nec valet ea in bonum chylum convertere, hinc sequuntur suam indolem, id est, rancescunt, unde iterum nausea & vomitus, quæ hic vitanda sunt, conveniunt hic potus ex aqua Hordei cum aqua Cinnamomi, succo Citri, & pauco saccharo & aliquot unciis vini parati; præprimis vero cerevisiæ crassæ, recentes, seu potius ex multo fermento confectæ, ut & vina Hispanica

nica, Canarienſia &c. mollia; at in parva copia data, ut digeſtio faciliteṫur. Motus ſit lenis, parum deambulent poſt cibum aſſumptum, quia tum omnia viſcera melius ſuo funguntur munere, minime tamen ſit incitatior, cum hoc in caſu metuimus, ne ſanguis iterum citius promoveatur, & per recens conſolidata vaſa ſibi de novo exitum quærat; vitent omnes & corporis & animi motus vehementes.

§, 1284. Ope horum remediorum multa perfeci, hic vero vobis in *Materia Medica* recenſui omnia; quæ novi ſecuriſſima eſſe, & dedi formulas, quas ſemper laudatiſſimas repperi hinc cardiaca juvant, optimum eſt Cinnamomum, adde lenia adſtringentia, ut Granata; Cortex Peruvianus, lenia acida grata Citriorum, Limonum, ſalia alcalia non ſunt danda, nam tum abortiunt, ſed aromatica ſunt præſcribenda, ſed ſumma cum prudentia; ut hic in recenſendis factum eſt.

§. 1285. *Urinæ difficultas.* Cum hic affectus præprimis accidat ulterioribus menſibus, cauſa ejus non ita à plethora deducitur, potius vero ab ipſius fœtus pondere; tamen non nego plethoram non in cauſſa eſſe, contrarium enim clariſſime docuit *Hippocrates* ubi dicit, *ſi agitatus & ſecretus ſanguis minime foras, ſed in uterum feratur, venæ impletæ dolent, & tument, ex eo claudicationis periculum imminet, quin etiam interdum veſicam offendunt, eamque premunt & urunt, & urinæ ſtillicidium adferunt.* Præprimis tamen oritur à pondere, cum enim fœtus quotidie increſcit, uterus extendi debet primo in cavitate pelvis eouſque, quo poteſt, locus vero hicce

solus non sufficit, hinc hic primo premuntur vesica anterius, Rectumque intestinum posterius: vesica quatenus ipsius collum uteri vaginæ inhæret, & ipso utero incumbit, si uterus nunc expandatur, vesica cogitur cedere, nam ab utero expanso premitur in minus spatium, unde ipsius vesicæ capacitas minuitur, hinc non tantam urinæ copiam retinere poterit; verum longe alia est ratio, cum enim uterus sic adscendit in abdominis cavum, ubi comprimet & renes & ureteres, ita ut iter occludatur urinæ, ne in vesicam descendat, hinc si quædam saltem guttæ penetraverint usque in vesicam, illæ coguntur aliquamdiu manere, cum vis appellens in sphincterem non tanta sit, ut superare eum possit, hinc ob stagnationem fit acris & mordax, detergit mucum; hinc rodit membranam, stimulatque tandem ita, ut aliquo modo superet sphincterem, hincque tam frequentes sunt nixus & renixus, ut putent se omni momento urinam dimittere debere, nequeunt vero; sphincter namque tam arcte clauditur, ut sola urina superari nequeat, nisi antagonista sphincteris simul agat, id est fortis aëris inspiratio & retentio, unde tum omnia viscera abdominalia ad inferiora coguntur, unde fortis illa super expansa peritonæi duplicatura, quæ pelvis cavitatem abdominis separat, plus premitur in vesicam, sicque ad urinæ excretionem cogit; hoc vero non ita accidere potest in gravidis, quia uterus distentus repugnat, qui viscera sursum premit, & diaphragmati non permittit eo usque in abdominis cavum descendere; hinc iterum patet, quam ob causam urina stranguriosa & difficilis à gravidis redditur.

Alvi

Alvi difficultas iterum oritur à nimia extensione uteri, quo nunc plus extendatur, quo etiam major accedat tenesmus, fœces nunc collectæ in intestino Recto, ubi restitare debent, omne quod adhuc liquidi in iis supererat, per vascula absorbentia amittunt, indeque elicitur, unde non nisi solæ crassæ remanent: ut fœces nunc excernantur, requiritur, ut viæ sint lubricæ, ut & fœces, & ut magna aëris portio inspirari queat, uti vidimus in urinæ suppressione; cum nunc neutrum horum adsit, facile patet; unde alvus adstricta & tenesmus; si hisce nunc addideris, quod & chylus in ea tenuitate, qua decet, non gignitur, & quod ob lentorem sanguinis glandulæ Peyerianæ non secernunt liquidum naturali simile, clarissime tibi patebit, cur fœces crassiores & majori vi, ut excernantur, egent.

Hæmorrhoïdes. Quomodo fiunt, facile patet, arteriæ enim non ita compressiles adferunt, venæ vero facile compressiles premuntur ab utraque parte, ab utero incumbente, & à fæcibus crassis, unde sanguis redire nequit, hinc extenduntur latera, tubera apparent, quæ fiunt ob extensiones laterum venarum, tuncque Cæcæ vocantur, quæ si diu durant, aliquando disrumpuntur membranæ. Unde tum hæmorrhagia ex vasis hæmorrhoidalibus (tumque nomen fluctuum acquirunt) aliquando salutaris, nonnunquam vero exitialis.

Varices. Quomodo oriuntur, sponte liquet; si, ut consideravimus, sanguinis plethora & lentor adsint; à plethora enim ita implentur vasa inferiora, ut non nisi magno impetu iterum versus cor propelli queant, verum vis

per arterias allata parva est, & maxime diminuta, & moles propellenda est maxima, unde lente propellitur, hinc cum venarum latera non ita sunt elastica, non ita promovent, sed se distendi patiuntur; quo facit, quod quum venæ, valvulis præditæ tantam admittant copiam, ut inter singulas valvulas contineri queat, eamque non propellere possint, distendantur illic loci, ubi maxime nudæ sunt venæ & musculis non interclusæ; si his nunc addas lentorem sanguinis, unde minori momento ab ipso corde expellitur, & denique animadverteris ob magnam illam uteri distentionem venas iliacas premi, unde iter intercipitur, claras & verissimas varicum causas habebis.

Inflatio pedem plane ab iisdem causis ducit originem, cum nempe venosus sanguis in iis partibus minus promovetur, illæque venæ ita repletæ sunt, ut solutionem aliquam interdum patiantur, venæ lymphaticæ sese exonerare nequeunt, moles incumbens quippe resistit; verum retinent suam lympham, intumescunt in æqualem, mollem, frigidumque tumorem, qui tam diu durat, donec copia superne inhærens propulsa sit, uti videmus tempore vespertino fœminas maxime his obnoxias esse, verum dum horizontaliter fere decumbunt, iterum detumescunt, ut & varices tum subsident, datur etenim liberior fluxus versus cor.

Labiorum uterinorum. Nil peculiare ut causa admittit; verum omnes easdem agnoscit ac inflatio pedum.

Lapsus proclivis. Quia æquilibrium sublatum est, musculi enim lumborum plus premun-

muntur, abdominis vero exteriora versus extenduntur, unde pondus maximum in anteriori parte, ita ut in procedendo maxime proclives sint in lapsum. Vidi rusticum chirurgum tractasse inflationem labiorum pro hernia, hinc volui subligaculis retroprimere, sed eo major factus est tumor, adeo ut fere inflammaretur, sed jussi quiescere, & post partum sponte recessit, hinc hoc summa cautela est tractandum, nam plerumque oritur eo loco, ubi alias hernia mulierum apparere solet, sed est à sola inflatione lymphatica labiorum vulvæ. Omnia mala hic recitata oriuntur si fœtus capite suo prono nimis cito hæreat ante os uteri, nam aliter primo genubus hæret ad finem ossis uteri, & caput hæret ad inguina matris umbilico obversus, si vero increverit, tum cadit sua mole deorsum & tum urget pelvim, & caput cedit versus os sacrum matris, si vero hoc nimis cito accidat, tum vasa hypogastrica nimis cito comprimuntur, hinc fiunt varices, nam aliter uterus gravidus non potest comprimere venas iliacas, nam uterus crescens in magnitudinem cum fœtu non manet rotundus, sed sursum adscendit; nam hoc est primum signum graviditatis, hinc cum adscendit, nec vesicam, nec intestinum Rectum, nec pelvim comprimunt, hinc hoc fit, si caput nimis cito procedat in pelvi.

§. 1286. Venæ sectio hic convenit, si fœtus non nimium increverit, aliter hoc sanguine aliquando opus est. Urinæ excretio impedita nullam fere curam agnoscit, præprimis si mulier versus inferiora gestiat, & fœtus jam inversus sit, omnia, quæ hic fieri possunt,

in eo consistunt, ut corporis situs mutetur, ut decumbat, sic enim vesica liberatur ab illo pondere; adhibeantur fomenta, renibus & pubi applicentur, clysmata injiciantur, quæ ob vicinitatem renum vasa & ureteres fovent & laxant, urinæ secretio melius peragatur, & facilius in vesicam transmittatur; hæcce vero si non juvent, & urina penitus suppressa sit, cathetere est educenda. Alvus adstricta eodem fere modo erit curanda, verum hic ingerantur laxantia, injiciantur clysmata emollientia, ut materies incrassata emolliatur & expellatur; minime tamen sint stimulantia, hincque medicus sit cautus, ne alvus nimis moveatur, ne lethalis Diarrhœa oboriatur, quod annotavit *Hippocrates*, sic & ab altera parte prospiciat, ne alvus sit nimis adstricta, ne hinc tenesmus, & hinc abortus fiat, juxta *eundem auctorem*. Hinc omnia stimulantia nocent.

Hæmorrhoides. Si sint tubercula omni modo studendum erit, ut laxentur, hinc continuo foveantur emollientibus, postea applicentur hirudines, ut sanguis eliciatur; vel si hoc nolint, fricentur partes foliis Ficus, fluat sanguis donec sponte sistatur, si nempe nil vetet; si vero, quid prohibeat, ut v. g. animi deliquii metus &c. ob nimiam sanguinis jacturam, statim sistatur frustulum Vitrioli imponendo.

Varices unam requirunt medelam, semper studeant medici, ut sanguis vel liquor distendens aliorsum feratur; sic frictiones sursum prosunt; fasciæ tum circumducantur calidæ & siccæ, post frictiones & fascias, pedes in sedili vel lecto elevationes habeant, ut circulus hic loci paulo incitatior fiat, ita si in ultimis gestationis mensibus accidant, uti plerumque fiunt, de-

decumbant; utantur diæta potius ad ſiccam vergente cum vino aliquo leniter adſtringente, ne poſt partum in Hydropem vel plenariam Cachexiam incidant: hunc in finem poſt frictiones applicentur fomenta ex vino rubro cum herbis quibusdam calidis cocto, balnea ex iisdem inſtituantur: ſi vero ferre queant hæcce mala, nil applico, poſt partum quippe ſponte ſubſidebunt partes; ſi tamen materies turgeat, leves ſunt faciendæ puncturæ, ut liquor educatur, caute tamen, ut videas, an inflammatio adſit nec ne, ſi non adſit, licet, verum cave, ne etiam accedat. Lapſus proclivis cum fiat, quia æquilibrium in corpore ſublatum eſt, non curatur niſi poſt partum ſua natura, tempore vero geſtationis aliquid levaminis afferri poterit per faſcias latas, imo ventri circumductas, ſuperiora verſus ducendas, ita ut humores tranſcendant ſic, ut pondus ventriculi ſurſum ducatur, retineatur; conveniunt his fœminis calcei lati & humiles, in procedendo ſemper aliquem habeant comitem, qui eas ſuſtineat, præterea vitent ſcalas, aliaque loca declivia & inæqualia.

§. 1287. Fluor uterinus omnes easdem ac abortus admittit cauſas, hinc easdem etiam requirit indicationes curativas; quamvis raro curationem admittat.

§. 1288. In fœmina per ſeptem vel octo menſes gravida vaſa uterina, quæ ante graviditatem videri non poterant, ſunt tumida & ceſſa ad digiti magnitudinem, & hinc multum ſanguinis hæret in uteri ſubſtantia, effluxurum vero impediat placenta, hæc vero ab utero abrupto facit ilico talem hæmorrhagiam, quaſi bos eſſet mactatus.

§. 1289. Noscitur ex utero fluere sanguis, primo si os uteri apertum digito immisso deprehendatur, secundo si sanguis immoderate profluat, si omnes hæ conditiones adsint, tum est hæmorrhagia uteri à placenta avulsa seu à motu violento seu ab animi affectu, si clausus sit uterus, & fluor sit moderatus lente stillans, tum non est fluxus uterinus, sed tum vasa in vagina se evacuant, quod salubre est.

§. 1290. *Motus*. Vidi hic in domina, quæ noctem saltando transegerat, quæ tum mane incepit tali profluvio sanguinis laborare, ut ilico mortua fuerit, & ipsa & fœtus plane fere exsanguis, hoc erat jam octavo mense gestationis.

Hysterica. Ut à sale volatili oleoso, Asa Fætida, Succino & similibus motum sanguinis augentibus datis nimium uti his gravidis mulieribus fieri solet.

Percussio, Hæc omnia sunt periculosissima, non equidem miror, quod in Sacris legitur illum virum esse morte plectendum, qui gravidæ abdomen pugna feriret, quod non est sine causa, nam ille matrem & fœtum interficit, sic vidi fœminam, quæ ludendo in angulum mensæ impegit, & hinc hæmorrhagia mortua est.

§. 1291. Vocabar ad mulierem quinque mensium gravidam, quæ in carpento vecta ob motum & concussum incidit in hæmorrhagiam uteri, nam priusquam domum reverteretur, fere mortua erat, statim jussi omnia vestimenta solvi, nam earant stricta, dein ligaturas ad crura & brachia injeci, ut sanguis eo per arterias delatus in venis moreretur, resuscitabatur parum in calore modico & quiete residebat, unde brevi restituta est, summum remedium est.

est corpus primo momento laxare, hinc descindendæ sunt vestes tantum, ut vasa laxentur, venæ sectio ad animi deliquium est instituenda, ut sanguis aliorsum repellatur, potus sit aqua frigida cum succo Citri vel simili frigido medicamento, deinde quies, & parum Opii si ex vasis uterinis prodeat sanguis, statim fluxus est prohibendus, corporis situ mutato ab erecto in horizontalem planum; tum vincula circumjiciantur circa crura & brachia, dentur continuo maxime nutrientia.

§. 1292. Tum infans, si possit, educatur, nam uterus si sic distentus maneat, tum & vasa sic manent distenta, & sanguis ubertim affluit, si vero educatur fœtus, tum uterus contrahitur; si hoc primo momento fiat, tum puto curari posse, nam tum ilico vasa collabuntur, puto vero hic magnam esse difficultatem, nam fui præsens in tali casu, ubi obstetrix peritissima inter eas, quas novi, ac reprehendi, aderat ad fœtum abducendum, sed cum manum in uterum intrudere volebat, & aliquantulum intrudebat, sanguis instar torrentis profluebat, & mulier omni momento convellebatur, hinc dubito, an hæc ita fieri possint, nam sæpe ita convulsæ moriuntur, licet *Mauriceau* narrat se hujus bonum eventum in propria sorore vidisse, non puto vero quod ille hic plane rem attigerit.

§. 1293. Hinc nullum aliud est remedium aliter mors est inevitabilis.



Partus Difficilis.

§. 1294. *Partus difficilis est exclusio fœtus maturi summa cum molestia vitæque aut ipsius aut matris; aut utriusque periculo conjuncta.* Hanc materiam fere exhauserunt Parisienses, nisi quod noster *van Deventer* addiderit illud unum de mala locatione uteri. Causæ externæ partus difficilis sunt aër, qui inspiratione ad pulmones descendens pro varia ejus constitutione varia effecta producit. Si nimis sit frigidus & siccus parturientes afficit, quia totum corpus constringit, vel si nimis sit calidus spiritus dissipat, & vires matris fœtusque exhaurit; inflammationem etiam febrilem facile inducere potest præsertim in corpore jam cacochymico. Cibus & potus quantitate nimia vel qualitate mala affectiones præternaturales producere continuo valent, ut dicit *Horatius.*

> *Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum*
> *Lenta feret pituita.* ——

Motus nimius & intempestivus, non modo vires parturientis exhaurit, sed positionem fœtus mutare potest; nec non nimia quiete malum oritur, ut ad cachexiam aliamve valetudinariam dispositionem tendat. Excreta etiam & retenta inordinata varios morbos præstare possunt, quibus matri vires & fœtui alimen-

alimentum deficiant. Denique animi pathemata, ut triſtitia, ira, timor, pudor & ſimilia, ſi vel ſubitanea vel vehementiora fuerint, maſſam etiam ſanguineam valde turbant, motusque vagos & inordinatos in ſpiritibus animalibus concitant, unde felix partus ſæpe impeditur. Huc referuntur ictus, caſus, vulnera & ſimilia ex improviſo occurrentia, tum etiam adſtantes, quæ parturientem adjuvare debent, præcipue obſtetrix, ſi in officio ſuo erraverit, cum omnia ad artem ſuam ſpectantia recte non intelligat, adeo ut parturientes nimis cito ſingulis doloribus licet levioribus partum conari adhortatur, unde vires maternæ ita minuuntur, ut juſto tempore pariendi inſtante, partum adjuvare minime valeant; vel ſi fœtus verſionem pravam ignorans ſtimulantibus ejusdem excluſionem accelerare conetur.

§. 1295. Imprimis culpa matris, ſi ſit juvencula vel nimis annoſa & primipara & inde ut notat *Ætius ob imperitiam corpus apte præparare aut gerere ignoret* & ob ætatem imbecilla, *neceſſario* enim dicit *Galenus ad bonum & facilem partum robur mulieris requiri.* Item ſi dolorum adeo ſit impatiens, ut cum ingraveſcant in animi deliquium cadat, vel convulſionibus corripiatur; qualem caſum vidi in miſera muliere, quæ licet omnia in principio ad facilem partum ſpectaverit, ſtatim ac dolores ceperit, convulſionibus fuit correpta, quarum quatuordecim paroxyſmos, ſingulis paroxyſmis acceſſione dolorum incipientibus, decem horarum ſpatio paſſa, animam efflavit: nec non ſi mater valde ſit obeſa, nam obeſitas vaginam & uterum ita ſæpe premit, ut liberum fœtui trans-

transitum impediat. Si etiam jam jam parturiens vitio aliquo pulmonum laboret, ita ut anhelitum ipso partus tempore cohibere nequeat, vel si morbo aliquo acuto afficiatur, ut de febre testatur *Hippocrates*, vel si præcesserit seu adsit Hæmorrhagia sive Hæmorrhoidum fluxus, Diarrhæa Leipothymia; convulsiones, aliusve gravis affectus, unde viresquam maxime exhauriuntur & spiritus animales minuuntur, sine quibus felix exspectari partus nequit. Quando partes ipsæ naturales male se habent, partus impeditur: quemadmodum si in istis præcesserit aut adsit inflammatio, Erysipelas, abscessus, ulcus.

§. 1196. Rogo statim obstetricem, quot horis modo in partu fuerit mulier? dicit tribus horis; deinde an matri bonus vigor antea adfuerit? affirmat, an labores non amplius adsint? dicit omnia sedata, an uterus apertus? affirmat, an aqua effluxerit? an in nativitate positus sit infans, id est, in ore uteri? affirmat, an frons ad os coccygis versa? affirmat; ergo omnia in matre & fœtu bona sunt, sola vis matris requiritur, hinc cardiaca, emmenagoga & sternutatoria conveniunt, quæ in *Materia Medica* fidissime adhibentur, nempe Juniperus, Ruta, Sabina, Crocus, Myrrha, vinum quoque generosum, his paulo major fit motus in sanguine & nervis, hac ratione vires redeunt, sed de causa à viribus nempe deficientibus debetis esse certi, nam sæpe obstetrices festinando talia dolorem promoventia petunt, ergo tunc omnia ad parturiendum debent esse apta, omniaque bene locata, & os uteri apertum, aliter nocent. Si igitur vires parturientis oppressæ sint vomitu, Diarrhæa, Dolore Colico, febre aliove gravi morbo, remedia blan-

blandiora & quidem talia, quæ fœtui nocere non possunt, pro ratione affectionis usurpanda sunt: & deinde exhaustæ vires ope aromaticorum spirituosorum & cardiacorum refici possunt. Cavendum tamen est sedulo à medicamentis vehementioribus & præcipue talibus, quæ magnam subitamque mutationem in corpore afferunt, quia plerumque gravidis & parturientibus valde noxia sunt; aromatica & spirituosa temperanda sunt, addenda ipsis aquea & subacida: ab his enim diluuntur & vires eorum minuuntur.

§. 1297. Hoc plerumque in annosioribus primo nuptis in primo partu accidit, in quibus hæ partes sunt nimis rigidæ & strictæ, quam ut se aperire possunt; hinc sæpe morientibus dicit obtestrix, sentio os uteri, sed non est satis apertum, non crescit, ut id exprimant, est nimis rigidum, durum; tum partes foveri debent balneo aut vapore ex decoctis herbis emollientibus assurgente, quales sunt radices Althææ, Lilii, folia Malvæ, Violarum, semina Fænu-græci, Lini, flores Chamomillæ, laxari etiam possunt oleo Liliorum, Amygdalarum Dulcium, seminis Lini & similibus, quibus obstetrix partes frequenter inungat.

§. 1298. Tumor scirrhosus vel excrescentia aliqua circa uteri orificium vel in ipsa vagina ejusve labiis causa est difficilis partus; hæc ante emollienda & suppuranda, nam in partu est nimis sero, unde infans exire nequit, tum fœtus & mater plerumque moriuntur, quia hoc ante partum mater non dixit.

§. 1299. Inventum est à Lue Venerea, à difficili partu prægresso, vel inflammatione concretum os uteri, tantum parva relicta apertura, ut semen injectum penetrare potuerit, si

hoc

hoc cognoſcatur ante tempus partus, lanceola eſt incidendum & conſolidatio balſamo adjuvanda & concretio ope peſſarii impedienda, aliter fœtui & matri eſt moriendum, tale exemplum *Clariſſimus Ruyſchius* refert.

§. 1300. Multum diſputatum eſt, an oſſa à ſe invicem recedunt nempe oſſa innominata? os pubis & eminentia vertebrarum lumborum ponuntur in linea recta horizontali; mulier vero teneſmum accipiens motum facit cum muſculis & ope horum os pubis elevatur, & ita diameter inter os pubis & muſculos abdominales fit major, & ſic hæc oſſa dici poſſunt, quod à ſe invicem ſecedant, aliter non, nam modo ſurſum elevantur oſſa pubis in teneſmo, in annoſis hæc minus mobilia, hinc ſæpiſſime in partu moriuntur, ſed hæ juvantur a linimentis ut unguento Althææ, Populei; ſed hoc fieri debet per multum tempus ante partum, aliter non multum juvat; vel in ipſo partus actu digitus oleo unctus molliſſime inducatur in anum, tum os coccygis digito lente remiſſo repellatur ad poſteriora leniter non cito, aliter rumperetur, hoc unicum eſt remedium. Verum hic *noſter van Deventer* aliquid invenit à nemine obſervatum, ſcivi quidem, quod uterus gravidus mutaret ſitum, nam fæmina gravida gerit uterum ſupra os pubis, ſed non gravida infra os pubis ſed hic *van Deventer* notavit, quod partus difficultas interdum à ſitu obliquo uteri oritur, quem quidem diverſimode inclinare poſſe ratio & experientia evincit; nam cum fundus uteri imprægnati mole multum augeatur, & extra pelvis anguſtiam altius elevetur, totusque parte ſuperiore liber ſit ac ſolutus, liga-

ligamenta, quæ partem inferiorem ambiunt, laxari poterint, & uterus facile pondere suo secundum varios matris motus accidente etiam intestinorum compressione situm mutare potest; hinc putat hanc esse primam causam partus mali, ut mihi consideranti quoque videtur.

§. 1301. Culpa fœtus quoque partus difficilis sæpissime nascitur, quando natura aut morbo aliquo præsente sive prægresso ita debilis fit, ut partum adjuvare præ viribus exhaustis minime valeat; vel si jam mortuus existat. Cum etiam corpus vel tantum caput aliquo modo grandævus fit, ut vias nimis angustas transire nequeat; vel plures fœtus in utero inter se intricati existentes, & simul exitum quærentes; ea ratione sibi invicem egressum impediant; item si monstrosus sit fœtus vel si perverse in lucem prodire conetur, ut pede uno vel manu vel natibus duplicatis, vel latere alterutro obliquo, vel si faciem aut ventrem primo exhibeat, & chorda umbilicalis prævia exeat, vel aliquo modo multum contorqueatur; denique partus aliquantulum membranis fœtum obvolventibus impeditur, si sint vel tenuiores; ut nimis cito disrumpantur; unde aquis effusis fœtus moriatur, nisi citius postea excludatur, vel adeo crassiores, ut à fœtu disrumpi nequeant.

§. 1302. Fœtum autem mortuum esse cognoscitur, si motus illius diu cessaverit; si obstetrix funem umbilicalem contingere possit, nec pulsus in eo sentiatur; qui in vivo est valde magnus; si meconium prodeat, tum dicunt obstetrices fœtum esse mortuum, sed hoc fit, quia respiravit, verum quidem est tum ut plurimum

rimum mori, nam si v. g. ovum habeas, tum vitellum frangere non poteris, quamdiu in albumine hæret, concutiatur modo quam fortissime non frangitur, & sic quamdiu fœtus hæret in aqua; tamdiu pressionem non sentit, si vero aqua effluxerit, tum ab utero & musculis abdominalibus premitur, & tum inde cito, si non extrahatur, moritur; si mater ex uno in alterum latus se convertens pondus percipiat instar lapidis ex una parte in oppositam devolventis; vel si labia & facies matris nulla alia causa patente, pallorem contrahant, rigorque & frigus corripiant extima corporis confinia, vel si animi deliquia, sudores frigidi, mammæ detumescentes matri adsint, vel anhelitus fœtidus; si obstetrix manu attingens cutim infantis senserit abradi instar muci; si ossa mollia; hæc omnia signa scrupulo sunt inquirenda; notandum tamen est, quod pro certo non est concludendum fœtum mortuum esse, si unum ex hisce signis occurrat, sed cum plura sese manifestent. Si *Mauriceau nostro van Deventer* jungatur, qui egregie de his scripsit, & qui in omnibus fere linguis nunc habetur, & omnibus fere anteponendus est, tum hujus rei completa habetur historia.

§. 1303. Simulac fœtus mortuus cognoscitur, tum sine mora est educendus, aliter mater moritur; nam raro sponte exit, licet *Ruyschius* dicat, quod in utero fœtus non putrescat, ut de vacca diu mortua notavit, verum aëre admisso fit putrefactio, hinc tum eximendus est fœtus; tum detur matri narcoticum, ut quiescat, apponatur vaginæ decoctum ex vino cum Matricaria, quando hoc per aliquot horas factum est, tum dato prius

cer-

cardiaco educendus eſt fœtus vel manu vel inſtrumentis, optimum methodum exhibet *Mauriceau*, qui omnia ad fœminarum mala pertinentia ſcivit, nam per quinquaginta annos hanc artem exercuit.

§. 1304. Situ naturali per caput educitur fœtus, artificiali per pedes optime fieri jubet *Mauriceau*, nam pars tenuiſſima prius educenda, tunc reliqua trahenda, quod capite non ita ſucceſſit, vide eundem auctorem; hanc artem nemo aliter niſi Theoreticè docere poteſt, nam omnia fiunt in obſcuro, & licet diſcipulo præſenti dicatur, jam hoc jam illud facio, idem eſt ac ſi narratur.

§. 1305. Hic curandum eſt, primo ne mater ſeu fœtus lædatur, ſecundo illa pars primo prodiens eſt arripienda & huic ligamentum circumjiciendum, ita ut hoc ligamentum ex vagina propendeat, quod ligamentum ſatis forte eſſe debet, & interim non cedere, ſæpe enim obſtetrix optat hanc partem iterum habere, nam hoc dat cynoſuram agendorum, ſi vero altera pars prodeat, tum eodem modo ligamentum injiciatur, ut inverti poſſit, & habeat modum cunei; melius vero eſt, ſi maneat in ovo, nam tum uteri os per aquam in veſica reconditam quaſi optime dilatatur, tum hæc veſica à nixu materno truditur in os uteri, & tum tandem caput infantis ſimul intrat; hinc nullus felicior partus; quam ubi ovum diu integrum maneat, hinc malè rumpitur ſæpe ab obſtetricibus. Si fœtus vivus ſit, ſitus commodus ei procurandus eſt, ut exeat, quod in mortuo per inſtrumenta facile fit: omnia, quæ hic ſcire debent, ſunt apud *Mauriceau in binis ſuis tractatibus.*



Morbi Puerperii.

§. 1306. Hi sunt morbi, qui mulieri, quæ infantem peperit, solum accidunt, & ex ea sola causa oriuntur, quia peperit. Hinc dicitur mulier puerpera, quæ modo peperit scilicet liberata illo onere; utcunque mulier laboravit tenesmo, nil tamen post partum (si res bene ceciderit) doloris sentit, sed est in summa quiete; dolores post partum oriuntur sæpe primo à labore tolerato, si labia scilicet multum fuerunt distenta, oritur dolor, sed raro nisi sit inflammatio. Secundo à partibus contusis, arctis & magno infante, & vi quam debuit superaddere mater & vi quam obstetrix debuit adjungere, unde facile fit contusio. Tertio ex decem mulieribus vix una est, quæ vexatur doloribus post partum, quin sit à sanguine vel grumis vel parte placentæ restante, hinc dolores a secundinæ retentæ parte aut plurimum oriuntur, quia in utero manet materia seu grumus sanguinis, & illa materia, tum sensum imprimit, quasi fœtus adhuc adsit, unde fiunt adhuc musculorum abdominalium spasmodicæ contractiones, hinc dolor, vide *Mauriceau*.

§. 1307. Novi, quod optimi medici in hoc casu præscribant diuretica, videtur *Sylvius de le Boe* id confirmaturus, dein proponit exemplum se in puerpera pepulisse magnam molem hoc decocto calefaciente, sed optime monet *Mauriceau*, sanguis maximè fluit, vasa non conso-

consolidata sunt, hinc tantum impellerem & talem grumum expellerem, tum simul sanguis vicinorum vasorum tantum pelleretur, ut hæmorrhagia lethalis fiat; mulieres tunc semper quid remedii volunt, sed detur lene non nocens, hinc qui artem obstetricandi exercent, si sit vir seu fœmina bene norunt, quod si fœtus & secundinæ eductæ sint, manus in uterum intrudi debeat, & omnia ibi lente expurganda sint, tum maneat manus aliquamdiu in utero, ut uterus circa eam se contrahat, & hac ratione sensim fiat contractio.

§. 1308. Hoc maximum hic est arcanum, nam ilico ac dolor desinit, tum omnia reliqua in utero sponte exeunt, & hinc tum modo dandum medicamentum sopiens, quod Paralysin inferiorum partium inducit; hic vero *Materia Medica* antacida addidi, quia corpus à partu valde laxum & acidula ac acescentia nutrimenta danda sunt h. e. acidum absorbentia, alcalescentia autem nimis profluunt & lochia nimes faciunt, hinc antacida requiruntur, in *Materia Medica* est formula, quam semper laudatissimam habui. Semper prius explorandum est, an abdomen subsidet, quod est, si non alius fœtus restans & placenta rotunda & integra exivit, tum scimus malum non esse à restantibus, sed à labore, hinc in curatione recta pergo, do decoctum Hordei simplex vel cum Uvis Corinthiacis sine acinis, syrupi de Moris & vini Rhenani parum, postea quod descriptum est in *Materia Medica* ex Oculis Cancri vel Corallis, tum granum unum Opii divisum in quatuor partes, qualis omni dimidio horæ sumatur una pars; superbibat decoctum Hordei, unde dormibit

mibit ægra, post somnum grumi sanguinis exierunt, hinc restituta erit mulier, nam fibræ uteri somno laxantur, statim os uteri se non claudit, vidi enim post quatuor septimanas adhuc quatuor digitos admisisse laxatione, vique respirationis massa sanguinea expulsa liberatur, tentavi olim methodum expellendi, semper mala insecuta fuerunt, ut febres ardentes, hæmorrhagiæ, lochiorum fluxus nimius.

§. 1309. à duabus his causis semper est lochiorum fluxus nimius vel primo à sanguine nimis tenui & acri, vel secundo quia vasis uterinis aliquid inhæret.

Impedientibus. Nam vasa uteri nunquam magis plena quam eo momento, quo mulier parit, hinc hic vasa si se contrahere debeant, deponunt humores contentos; contractio vero fit per fibras circulares in uteri fundo demonstratas, nempe ibi ubi placenta adhæret, si vero placentæ pars non separetur, tum se non contrahunt, & hinc vasa manent aperta; si magna tum adhuc oritur hæmorrhagia, tum causa distendens ordinario adhuc hæret in utero, si vero hæc materia educta fuisset, tum inde nil mali ortum esset, nam si sanguis hic fluit, tum cito grumescit, ut ubique fit, & oritur in hoc casu materiæ accumulatio, quæcunque dederis nil juvas, sed des Opiata ut leniter dormiant, nam tum ut plurimum hanc materiam evacuant, & in linteis eis suppositis invenitur, si vero hoc non successerit tum videatur, an os uteri adhuc apertum, nam per duos digitos apertum semper manet per tres dies a partu; tum materia leniter de-

purga-

purgatur, ne nimium doleat, nam quod retinetur, modo aspasmo dependet.

§. 1310. Aqua Hordei vel aqua Brittanniæ ex Avena carere nequeo, his talis sanguinis fluxus sistitur, vasa quidem laxantur, sed lenitur sanguinis motus & fluxus. Ex adstringentibus do Corticem Granatorum, nempe Catechu dragma una in aqua dissoluta benigissime adstringit, Cortex Peruvianus est ex optimis, vide *Materiam Medicam.*

§. 1311. Si morbus inflammatorius, tantum diluentia, vix opiata levia cum adstringentibus bona, hæc semper prosunt, nisi terreamini à nimia hæmorrhagia, dentur statim dicta decocta, si velitis adstringere, detur uncia semis conservæ Rosarum Rubrarum; gratum erit pauxillum Opii cum leviter adstringentibus, nam multum possunt amittere sanguinis, si bonus modo restituatur, addatur tantum parum alicujus antacidi nempe Oculorum Cancrorum ad dragmam unam; reliqua vero antacida dantur ad acidum corrigendum.

§. 1312. Plerumque tertio die mammæ intumescunt, ab utero non fluit amplius, dum sanguis ad mammas ducitur, à turbata hinc circulatione fit febris lactea, quæ inde oritur, quia novus chylus novem mensibus ad uterum ferri solebat, nunc ad mammas ducitur, unde à mutata circulatione fit febricula. Sæpe tum fit, sanguinem non bene allui ad uterum, quia avertitur fluxus, unde plurima mala sæpe oriuntur. Omnes hi morbi tum non sunt morbi sibi constantes, sed morbi puerperii, hic omnes auctores vidi impegisse; Ipse *Rodericus à Castro Lusitanus*, qui tantum in morbis mulierum indagandis navavit operam, ab hoc

errore non excluditur, idem error in *opere Veneto περι γυναικαιων* sive *de Morbis Mulierum* commissus est. Hi morbi oriuntur, si lochia in sanguinem recedentia se in aliqua loca dilatata figant; vidi Apoplexiam ortam, quia ingens animi perturbatio lochia stetisset, in quo casu adhibita sunt omnia excitantia, revellentia, quæ nil juvarunt, nec etiam venæ sectio, nam ægra mortua est. Lochiorum recessus etiam aliquando inflammationem uteri excitavit: horum suppressio varia symptomata creat prout sanguis huc illuc derivaverit, quæ plus minus periculosa pro ratione partis conditionis.

§. 1313. Cogitetur in muliere illud tale semiputrefactum resorptum, id educere tentabo hac via, qua ante educi solebat, non ad alia loca avertere studebo, sic radice curata symptomata sponte cedunt. Hic sciendum est, an puerpera infantem lactare velit nec ne, si illum lactare velit, tum per suctricem omne lac ad mammas veniens est exsugendum, nam infans tantum conatum non facit, & sic tum ad mammas materia fertur, & si remaneat hæc materia, tum fit caseosa & multa mala parit; si vero puerpera lactare nolit, tum cataplasma ad regionem uteri est ponendum, & sic omnis materia chylosa deorsum pergit, & tum lochiis fere diffluunt mulieres.

§. 1314. In puerpera vasa flaccida sunt fere collapsa, hinc fere semper labes acida adest, ergo antacida, Ostracodermata, Oculi Cancrorum &c. prosunt.

Diluentia &c. In hoc casu semper adest stagnatio ad uterum, quæ est amovenda, hinc diluendum est, nolunt obstetrices puerperis permittere ut bibant, sed bibere debent, & sæpius objurgavi, sed talem potum bibant, qui

qui sanguinem non accendit, sed diluit, acre crassum lenit & exitum præbet, non operentur istæ mulieres, sed quiescant, hinc facilè ferre possunt, juscula aperientia &c. sunt optima; quæ in *Materia Medica* annotavi, clysma juvat non turbans, non Passionem Hystericam excitans, ut sunt omnia dulcia, optimum est decoctum Hordei cum Salis Marini scrupulo uno, & dragma semis vel una mellis, si plus urgendum sit, addo folia Chamomæli, si fortius folia Rutæ vel similia.

§. 1315. Hic magna est questio, an vena secari possit in brachio ad lochia inhibenda, hic considerandum habemus corpus, quod antea adeo fuit distractum, jam vero omnia sunt laxa, vasa libera; hinc sanguis in his vasis libere & aperte fluit, sed ne hoc nimium fiat, post partum ilico abdomen æquali constrictione constringatur, ut eadem maneat pressio & tum vasa cito arctentur, & sanguis retroit in vasa, quæ non habent sanguinem, ubi minima est resistentia, & hinc sanguis hic quidem locum invenit in vasis inanibus; hinc nunquam venæ sectionem suaderem in hoc casu; *Sydenhamus* dixit, si venæ sectio instituatur, mulierem convulsione morituram fore, hinc hanc operationem nunquam suasit.

§. 1316. Qui legerunt *Duretum*; *Sydenhamum* & *Mauriceau*, uti omnes reliquos symptomata horum morborum curare volunt, ut morbos singulares; sed adhibeantur tantum decocta Malvæ, & Parietariæ, clysmata lenia ex similibus, inde fiant larga decocta, Hordeum coctum prodest, nil aliud, non venæ sectio; aliter convulsione moriuntur mulieres, nam morbus non oritur, quia nimius

mius adest sanguis, sed quia lochia in nimia quantitate fluxerunt, & quia materia putrefacta eo vasit, hinc major est spes in diluendo, sicque educendo, quam in sanguine evacuando.

§. 1317. Tertius puerperarum morbus est à lacte ad mammas delato, miseræ illæ mulieres habent morbos viris communes, sed ultra plus quam 200 alios, ut notarunt medici ex statu virginitatis, graviditatis, partus, puerperii, & lactationis, hoc præsens vero malum curandum adest. Si hic Apoplexiæ signum oriatur, tum non permissionem sanguinis curari potest, nam hoc ipsis exitiale est, ut ex sequenti casu apparet. Vidi mortuam quandam matronam, quæ, cum fœtus extraheretur, quoque multum amisit, & præterea imprudens obstetrix illam compresserat, hinc incidit in Apoplexiam, unde excitari non potuit, quia omnis sanguis ad uterum derivabatur, & sic à corde & cerebro subducebatur in loca aliena; *Sydenham* in his errare videtur, qui hoc à spiritibus deducit.

§. 1318. Si dicant mulieres se horrere, tum intra trihorium lac erit in mammis, si refrixerint & caluerint alternatim toto die, nempe febricula, rubor, dolor mammis, tum cognoscitur brevi lac adfuturum.

§. 1319. Curatio in sequentibus consistit. 1. Non vidi ullam, quin potui sanare; si ergo minima signa acidi adsint, ut tertio die fieri solet, nam chylus in his in acidum inclinat, est enim modò crudus, hinc lac mammas affluens quoque est crudum, ergo lac citius coagulabile; hinc remedia in *Materia Medica* præscripta sunt optima, quia impediunt lactis coagula-

gulationem; nam lac sua natura acescit, & plus in puerperio, quia vasa sunt laxa, unde fit caseosum, ergo acida absorbentia danda sunt, vide *Materiam Medicam.*

2. Hinc primo do jus tenue vitulinum, ut resolutum evanescere possit.

3. Optime hic conducit lac recens mulsum cum floribus Chamæmeli, Sapone Veneto & Sale Marino coctum, quod mammis imponatur ope pannorum calidorum; hac ratione ex centum vix una mamma suppuratur, aliter facile fit. Verum pessime agunt Chirurgi, qui hos tumores semper discutere volunt, licet sint nimis crassi & duri, hinc tum plerumque oritur scirrhus, verum hinc si discutere non valeamus ob duritiem, tum modo maturantia applicanda sunt; sumatur v. g. farina Avenæ cum bulbis Liliorum addito oleo Lini vel butyro insulso, hoc est optimum cataplasma, & hoc tamdiu applicandum, donec sponte rumpatur abscessus, & tum adhuc relinquendum, nam non puto plus inde puris fieri quam requiritur. Chirurgi vero pus nimium exprimentes una vice male agunt, sed sponte effluere sinant.

§. 1320. Si jam ingens dolor durities, tensio, rubedo, calor ad sensum, splendor in parte, ne tentatis dissipare, quod moneo, licet ante plures annos fuerim in alia sententia, hic enim ratione manet scirrhus; sed statim maturantia sunt applicanda, ut farinaceum ex flore Tritici cum bulbis Liliorum alborum in lacte coctis, adde ad finem parum butyri insulsi, inde optimum fit cataplasma, quo mamma emollitur, deinde danda sunt blandissima suppurantia non acria; postea aperien-

da; quæritur an statim aperiendus est tumor? licet cutis sit laxa & flaccida, melius tamen est macerare in laxo, ut labia bene suppurentur, donec omnia in pus sint conversa, nec sit metus scirrhi, tum aperiendus est abscessus; mundandus est sine turundis immissis, quod bene notetur, nam fistulosæ manent mammæ, & fit fontanella, turunda impedit consolidationem uti & exitum humoris; Defensivum tantum imponatur, hic si in præcedenti paragrapho dicta nimis sero adhibeantur, ita ut non resolvere possit, tum ad suppurationem est promovendus tumor; nam pessime hi agunt, qui illud impactum excuti, nec inflammationem resolvi non posse videntes, tamen ad suppurationem producere nolunt, hinc faciunt scirrhum & cancrum, hinc videtis, quam male agunt, qui spiritum vini seu spirituosis difflare conantur; hoc quidem primo prodest, sed postea maxime nocet, hinc suppuratio modo provocetur, & ilico ac videtur, quod tumor abiturus sit in suppurationem, tum emollientia ex seminibus, & foliis Althææ cum butyro insulso & similibus applicanda sunt cataplasmata, ut maturatio fiat, inde oritur abscessus, qui se aperit, non vero lanceola abscessus est aperiendus, hac enim ratione omne pus eo melius suppurabit; non est claudendus, antequam omne pus affluxerit; cataplasma vero singulis decem horis renovetur; hæc methodus est optima.

§. 1321. Nil hic melius est, quam oleum mollissimum, aut spiritus vini cum Masticha coctus, hac enim ratione callus inducitur.

§. 1322. *Lac abundans.* Vidi enim sæpe mulierem

lierem inde atrophicam factam, sed tum modo nil bibat mulier, nisi cerevisia meraca, vinum meracum & omnia spirituosa, edat panem biscoctum, qui omnem aquam imbibit.

Lac deficiens. Tum nil nisi lac dulce, ptisanam cum tritico & lacte, jus carnium & similia assumat mulier.

Frictiones per horas adstruendæ sunt, & tum suctrices vocandæ, ut lac eo derivent & vias quasi aperiant.

Causæ. Sæpe oritur morbus, quia lac deficit, vel lochia seu urina seu sudor nimius, tum hæc causa est tollenda si nempe alvus nimium fluat, tum obstipanda est, v. g.; per syrupum Diacodii cum absorbentibus, non sumat ægra herbam Thée, ne nimis ad renes erat.



Morbi Infantum.

§. 1323. Hi morbi non admiscendi sunt, quos infantes adultis communes habent. Gluten est corpus semi-fluidum, quod partes adeo cohærentes habet, ut quando movetur una pars, tum hæc simul secum trahat alias adhærentes partes, interim tamen non tota moles moveatur. Cum recens natus est infans, cadaverum dissectio docet, quod totus ille tractus ab oreusque ad intestina (ne vesiculis pulmonalibus exceptis) repletus sit talibus glutinosis atque caseosis strigmentis, à quorum motu &

molesta irritatione itidem ac filo per os usque in ventriculum demisso atque motu, stimulata oris, æsophagi, ventriculi & intestinorum tenuium continuata nervosa tunica producit nauseas, vomitus, borborygmos, singultus, convulsiones &c.

§. 1324. A primarum viarum inertia ob mucosam repletionem & inviscationem oriuntur assumptorum indigestiones & multa inde sequentia mala.

§. 1325. Causa hujus morbi neque tam ex tenellorum urina, quæ naturaliter pallida & crassissima una cum fœcibus continuo redditur aut ex pulsu, qui ex levissima causa celer est, quam potius à nutricum & mulierculárum iis assidentium responsis est extorquenda. Morbi descripti ab illis strigmentis oriri cognoscuntur, si prædicti morbi contingant statim vel brevi tempore à partu, & ante lactis usum inceperint, si meconium per alvum excernatur, & infans in vel post partum nullum damnum acceperit, unde similes provenire possent morbi. Quod ad Prognostica attinet, nisi illa causa tollatur, non tantum hi augentur morbi, sed etiam novi superveniunt, nam lac tenellorum pabulum digeri nequit, ideo suam sequens indolem, utpote in loco calido & aëri exposito hærens transit in acidum, producit novos morbos similes iis, qui à coagulo lactis postea describendis oriuntur, morbus ille facile curatur, si modo in tempore prudens advocetur medicus. In hac curatione duæ occurrunt indicationes, ut materiam illam attenuemus & detergeamus, secundo attenuatam & detersam ex corpore expellamus: primæ indica-

tioni

tioni conducunt roborantia, resolventia & abstergentia; hunc in finem nil cibi potusve per decem vel duodecim horarum spatium infanti concedatur, hacce abstinentia occasio datur, ut stomachus respirationis motu adjutus sese contrahens agat in contentam materiam, hinc gentes Judææ & Asiaticæ tenellis suis nil porrigentes exponunt frigido aëri, quo aucto respirationis motu ventriculus hanc materiam expellit; postea jejunis quinta quavis hora exhibeatur parva dosis ex melle cum vino dulci hydromelle, mel deterget & vinum roborat. Secundæ indicationi satisfaciunt mitissima purgantia, quæ sola exhiberi vel prioribus admisceri possunt, qualia sunt syrupus Violarum, Rosarum solutivus, qui satis purgant infantes, vel syrupus Cichorei cum Rheo, qui in quadam aqua dissolvi possunt, vel ipsum Rheum, quod aliis medicamentis idoneis admisceri possunt, nil enim melius & tutius purgat pusiones quam Rheum hisce modis v. g. præscribi possunt formulæ.

℞. Rhabarbari el. gr. x.
Sacchari albissimi ℈j.
M.

Sic roborato & expurgato ventriculo, sæpe totus morbus tollitur v. Materia Medica.

vel assumant.

℞. Mel. ℥ij
Vini

Aquæ communis, ana ℥ß
M.

hoc medicamentum eſt optimum, nam ratione vini ſtimulat, & attenuat, ratione mellis reſolvit & abſtergit, ratione utriuſque expellit, hæc remedia dentur perpetuo bibenda, plerique auctores laudant in hoc caſu oleum Amygdalarum Dulcium cum Saccharo, ſed & his non fidendum, oleum enim facile ranceſcendo infanti magnum malum inferre poteſt. Veteres dederunt butyrum infulſum cum melle, ut hoc ſapone materia impacta attenuaretur.

§. 1326. Conducunt etiam epithemata ex moderate aromaticis & ſpirituoſis e. g. ex ſpiritu Maſtichino, Nuce Myriſtica, Cinnamomo, Macere, Corticum Aurantiorum, Citri flavedine, aqua Theriacali & vinis aromaticis. Ex his ſpirituoſa linteis vel plane toſto excepta uti ex vino Hiſpanico cum Nuce Myriſtica & pane toſto exceptis, vel aromata ut Abſinthium, Mentha, Fæniculum inter lintea duplicata poſita, vel cum vitello ovi ſubacta ventriculo extrinſecus applicari poſſunt, vel horum loco emplaſtrum de Theriaca apponi licet, hac ratione fibræ ſtomachi roboratæ agunt in motus excretorios.

§. 1327. *μηκώνιον* à *μήκων* *Papaver*, dicitur id, quod papaveris vi quadam eſt præditum, ſed hic vocatur illud primum excrementum, quod à pueris recens natis ſtatim emittitur colore ſanguineo valde nigrum & piceum, ſplendens, unde ob ſimilitudinem Opii veteres meconium dixerunt, cum enim oriatur ex nutrimento fœtus in utero quaſi lacteo, nil aliud eſſe videtur

quam

quam crudior caseus à reliqua substantia nutritiva separatus, inde occurrente in duodeno bile obscurum ex nigro viridescentem colorem contrahit, docet enim cadaverum incisio; quod in foetu trimestri non tantum fellis vesicula bile turgida ejusque ductus adsit, sed hepar pro proportione adhuc est major, ut in piscibus, & quo animalia inertiora, eo etiam hæc viscera majora. Foetus in utero materno nunquam alvum exonerat, imo si mater nono graviditatis mense moritur una cum illo, tum etiam foetus summis anxietatibus cruciatus tamen ne grumum quidem meconii dimittit in liquore amnii, quia clausus ani sphincter nisi respirationis vi superari nequit. Infans in lucem editus statim respirans deponit materiam descriptam, quæ non tantum intestina Crassa, sed etiam sæpe intestinum Ileum infarcit. Hæ foeces, ubi vel à nimia foetus debilitate vel à sua duritie, aut nimia copia, vel denique ob intestinorum siccitatem in eorum gyris nimis diu retentæ ideo lactis nutritivi distributionem impedientes postea pertinacem alvi obstructionem creant.

§. 1328. Tum per liberum aëris accessum corruptæ fæces viridi colore tinguntur (nam *clarissimo Ruyschio* demonstrante quamdiu aër non admittitur, tam diu meconium non putrescit) pessimaque excitant symptomata.

Dolores torminosi. Tenellis nuper natis in his regionibus præsertim sæpe accidunt ventris tormina, à quibus perpauci evadunt infantes; qui dolores terminosi oriuntur à tribus causis vel primo à frigore, secundo à flatibus, tertio ab humore acido. Primo quod hoc à frigore contingere possit, unicuique satis no-

tum est. Secundo flatus est aëris elastici intra duo interstitia contracta intestinorum contentio, si in uno loco quiescat, dicitur flatus, si vero cum sono & impetu audiatur, vocatur borborygmus. Hanc materiam nempe aëream in intestinis esse præsentem docet *Wepferus*, quod vero hi semper non fiant, est inde, quia semper non adest causa intercipiens aërem, ut rarefiat. Quod flatus intestina distendere ventrisque tormina creare possint, probant cadavera infantum post mortem apertorum, ubi non solum intestina flatibus fuerunt distenta, sed & ipse quoque ventriculus, ita ut abdomen instar Tympani fuerit extensum. Tertio nemo inficias ibit, quod homines laxi uti infantes imprimis, qui nil nisi acescentibus utuntur, temperiem acidam habeant, fœces eorum fere semper acidum spirantes hoc perfecte demonstrant.

Vomitus oritur ab acri quadam materia vellicante fibras intestina, ventriculum, æsophagum constituentes ab inferioribus sursum, quod patet ex elegantissimis *Wepferi & Peyeri* experimentis in animalibus institutis, sed hæc definitio multis non satisfaciet, nam *dominus Chirac Gallorum celeberrimus medicus* vult hic convelli decem musculos abdominales una cum diaphragmate, quod non nego, sed primam causam esse harum fibrarum irritationem & motum peristalticum inversum existimo, si hoc verum esset, tum os æsophagi deberet deorsum ire; quod contra accidit, hinc ad initium æsophagi dolores, ventriculus contrahendo se contenta expellit, uti *Wepferus* in brutis vidit, tum musculi abdominales premunt ventriculum sursum & diaphragma deorsum,

sum, sic preli instar contenta expelluntur.

Tusses fiunt ab irritatione intestinorum bronchiis communicata: nam sicut intestina cum reliquis abdominis visceribus suos à pari vago & intercostali habent nervos, sic etiam pulmones suos.

Sternutationes oriuntur ob intestinorum stimulum per nervum intercostalem communicatum membranæ Schneiderianæ, quæ præter magnum olfactorium nervum accipit etiam à primo ramo quinti paris ramum ex unione cum nervo paris sexti, à qua nervus intercostalis suam habet originem.

Pervigilia oriuntur à nimia determinatione liquidi nervosi ad organa sensuum; reliqua ab irritatis nervis; fit macies ob nutritionis defectum. Visis hisce symptomatibus cognoscitur morbus oriri à meconio diu retento, si infans fœces coloratas instar Opii & splendentes tenacesque Picis adinstar magna copia non deposuit. Cognoscitur ex debilitate retineri, si infans vel nullos vel valde exiguos ad deponendam alvum edit nixus. Meconium retentum ex sua duritie scitur, si in hypogastrio sentiatur durities, quasi tumor in illis locis hæreret. Ex copia nimia retentum deprehenditur, si in iisdem locis sentiatur tumor tractui cedens. Denique ex intestinorum siccitate retentum apparet, si fœces rejectæ crepent; hinc si non liberetur infans, morbi inde oriunde non tantum increscunt, sed etiam novi producuntur, nam intestinorum fibræ à nimia & diuturna distensione elasticitatem suam amittunt, unde illorum Paralysis necessario sequi debet; inflammationes, gangrænæ tum à compressione; tum præsertim quidem ab acrimonia & simi-

lia mala; hinc si meconium tempestive vel per assumpta vel matris lac evacuetur ab omnibus hisce malis præservari possunt.

§. 1329. Morbi ex meconio nimis diu retento ex quatuor causis allegatis originem sumentes etiam quatuor in curatione habent indicationes, primo vim expellentem nimis debilem corrigere; secundo excrementorum duritiem emollire; tertio nimiam ejus copiam expellere; quarto sicca intestina lubricare & demulcere. Ad primam indicationem nil melius est, quam quod infans lac maternum in primis diebus magis serosum sugat, sed multæ matronæ id negligunt falso hoc præjudicio ductæ, quod sanguis puerperæ recens enixæ sit impurus, adeoque & ejus lac, quod tum colostro caret, malum & nutritioni ineptum. Id ipsum vero provido naturæ consilio contingit, ut virtus huic lacti inesset, qua fœces per aliquot (dum in utero latitarent tenelli) menses congestæ eluerentur. Lenia etiam purgantia huic conducunt v. g. syrupus Rosarum solutivus sine vel cum Senna, Cichorei cum Rheo, Violarum, Mel album, Mercuriale, Manna Calabrina, Cassia recens, Agaricus, Sapo Venetus, Rheum; ex quibus variæ possunt concinnari formulæ ut v. g.

℞. Aq. Stillat. Menthæ ℥ij.
Rhei el. gr. V
Cassiæ recent. extract. gr. IV
Syr. Rosar. rubr. ℥i
M. Pro una dosi.

Vel

℞. Rhei el gr. X.

Sacchari albiss. gr. XX

Conterantur in pulverem impalpabilem, dentur in lacte; hoc est meum consuetum remedium; si infans per quatuor dies non dormiverit, jam somnum capiet, mulieres tunc putant infantes assumpsisse Opium, in quo maxime errant, hoc enim tantum sustulit causam impedientem somnum. Lenia suppositoria sunt optima v. g. Sapo Venetus redigatur in conum, qui ano intrudendus est, vel globulum exiguum, vel conulum factum ex saccharo coniformi vel sebi candelarum parum, vel mel ad debitam duritiem coctum & in parvum coum formatum oleo illiniendum. Cardiacum gratissimum & mitissimum valde conducit nempe ex melle, vino Hispanico dulci, aqua Cinnamomi, debili, sed hanc aquam prius examinare debet prudens medicus, si enim ejus destillatio nimis diu fuerit protracta, acida fit, & alembicum inter transeundem corrodens colorem viridem contrahit, unde pessima oriuntur mala, quæ omnia supradicta cum ovi vitello misceri possunt, v. g.

℞. Aq. Stillat. Cinnamom. ℥j
Vini Hispanici ℥ij
Vitellii Ovi. No. ß
M. F. haustus.

§. 1330. Potus lenissime laxans conduxit, ex sero lactis cum pauco melle v. g.

℞. Seri lactis ℥j
Mell. ℥i
M.

hoc

hoc diluit, laxat, parum ſtimulat & ſimul nutrit; Rheum hoc in caſu non convenit, quia vim infert inteſtinis, quippe materiæ tam duræ promovendæ imparibus. Clyſma ſimile prodeſt ex Emollientibus additis blande purgantibus v. g. ex ſero lactis cum Melle vel Sapone Veneto ſemel bis de die injiciendum.

℞. Aquæ Hordei ℥ij
Mel. albi vel ℥j
Saponis Veneti ʒj
M. F. Enema.

§. 1331. Hic morbus curatur exhibito oleo recens expreſſo Olivarum, Lini, Amygdalarum Dulcium, quæ ſola adhiberi vel quibuſdam ſyrupis admiſceri poſſunt v. g. ſyrupo Violarum, Glycyrrhizæ, Capillorum Veneris, Symphiti Fernelii, Althææ Fernelii &c. qui ſyrupi habent in ſe quandam mucilaginem, qua partibus applicati adhærent v. g.

℞. Olei Amygd. D. rec. expreſſ. ℥j
Syr. Capillorum Vener. ℥ij
M. F. hauſtus pro una doſi,

injiciatur quotidie clyſma ex ſimilibus; ſi alvus ſit dura.

℞. Olei Lini recent. ℥ß
Vitell. Ovor. N. ß
Mel. Mercurial. ℥ß
Seri lactis recent. ℥j
M. F. Clyſma.

ſimili-

similibus inungatur abdomen v. g. fiant linimenta ex oleo cocto Parietariæ, Malvæ, Althææ, vel unguento Althææ & similibus, his singulo mane & vesperi illiniatur abdomen.

§. 1332. Hæc emolliunt & lubricant, cavendum autem ab aromaticis & adstringentibus. Hinc pessime infantibus suis consulunt mulierculæ, quæ iis modo in lucem editis vinum Rubrum, succum Rutæ, semen Carui, Anisi & similia exhibent ad flatus discutiendos, vel convulsiones ab his provenientes avertendas, quæ tormina & reliqua omnia mala ex meconio retento vel aliunde, testaceis exhibitis, æque demulcentur (*teste Harris*) ac dolores & vigiliæ adultorum ipsis narcoticis ad tempus tolluntur.

§. 1333. Ante omnia acidum corrigere vel tollere debemus medicamentis antacidis sic dictis imprimis illis, quæ acidum absorbent, non alcalina v. g. Coralliis, Matre Perlarum, Oculis & Chelis Cancrorum & similibus.

℞. Conchæ Mutylorum
Mandibul. Lucii piscis
Corall.
Ostracoderm. Ostreor. ana ʒj
M. F. Pulvis.

Dosis est grana septem bis vel ter de die. Si medici ab his non exspectatos videant effectus, ut recte dicit *Harris*, hoc inde fit, quia non satis diu nec in sufficienti quantitate illa propinant, & quia victum oportunum non commendant, nam quid juvat præsens acidum auferre, nisi novum fieri impediatur? hinc dentur illa absorbentia ter quaterve de die, donec omnia acidi signa evanuerint.

§. 1334.

§. 1334. Opiata raro & non nisi cum magna prudentia sunt exhibenda, nam ab Opio exhibito infantes tota vita fatuos mansisse visum est, hinc nunquam nutrices infanti dent syrupum Diacodii seu Papaveris; hinc Opiata non nisi in summis doloribus atque convulsionibus sunt danda, & quidem illa lenia ut syrupus Papaveris albi erratici, qui aqua dilui & per vices exhiberi possunt.

§. 1335. Vitentur omnia stimulantia, calida, seu volatilia, seu fixa, *Clarissimus Sylvius de le Boe post Basilium Valentinum & Raymundum Lulliumfuit primus*, qui optimum (ut dicit) remedium invenit salem volatilem oleosum, medicamentum quidem in affectibus Hystericis & in quodam specie Scorbuti optimum, sed in infantibus valde noxium, cujus affectus ipse expertus est, cum dicit se dolere filiolam suam esse mortuam, licet ei magnam copiam salis volatilis oleosi propinavisset.

§. 1336. ex. gr. Inflammatio oritur à meconio, quia fœx retenta & arefacta est, si fœces acidum spirent, maculæ à pannis vix eluendæ inferunt signa, quod tenera intestina sic sint excoriata ab acri, ut inflammatio huic loco accesserit; hic morbus est considerandus, ut morbus infantis, sed inflammatio est morbus topicus; curatur lacte tepido cum oleo Terebinthinæ in clysmate, hoc sit tantum pro exemplo, nam reliqua explicata facile sciuntur ex dictis.

§. 1337. Omne lac humanum & brutorum habet hoc primum, quod butyrum & serum facile abeat à parte caseosa, quæ compingitur in coagulum crassissimum; verum solet & lac in

in caseum rancescentem abire Belgice *lubbige kaas* illeque est acerrimus, ut est caseus Edammensis; qui vetustus linguæ pustulas imprimit. Coagulum crassissimum sæpe tenellis accidit tribus de causis, primo ob debilitatem Ventriculi infantis, unde alimenta sequuntur suam indolem, secundo quia nutrix acido nimis laborat, quod in capite præcedenti satis explicuimus, tertio ob sæpius repetitam lactationem; si enim ingeratur lac novum priori nondum concocto, sed in ventriculo subacido facto, à superventu novi lactis grumescit, caseescit, vel abit in mucilaginem acidam, viscidam & tenacem, atque sic unum corrumpit alterum, ex hisce patet, quod nutrix infantem suum nimis alendo sæpe interficit, ut recte observavit *Kerkringius*. Unde ab hac inordinata ingestione ventriculus infarctus ab acredine materiæ acidæ omnia vomitu rejicit, qua de causa stolidæ matres lætantur juxta illud vulgatum, pueri, qui vomunt, crescunt, præstat sane hic peccare in defectu quam in excessu, cum repletiones ad extremum productæ graves esse soleant.

§. 1338. Materia illa sensim acidior acriorque reddita producit infinita mala, scilicet fœces alvi virides, acidum spirantes ob indomabilem ejus acidi naturam; tormina propter intestinorum rosionem & expansionem à materia illa acida, cum aperta sunt cadavera infantum convulsivorum, & maxima anxietate mortuorum, ubi hærebat materia adeo acida, acris & dura, ut stomacho & intestinis excoriatis nec dissolvi nec excludi potuerit; quæ dum rarefacta superat ventriculi orificia, facit ructus, si ani sphincterem flatus, nonnunquam

pro-

producit Diarrhæas, quippe ſtimulata inteſtinorum tunica nervoſa copioſius excernitur liquidum; ſæpe etiam totum inteſtinorum tractum ita claudit, ut admiſſione aſſumptorum impedita infans fiat atrophicus; ab hoc coagulo chylus paucus, qui adhuc conficitur, & ad ſanguinem pervenit, debet quoque eſſe acidus, humoresque inde confecti aceſcentes, ideoque prædominium acidi per totum corpus efficit pallorem ſubviridefcentem, puſtulas rubras, hinc inde per ſuperficiem corporis diſperſas; aliquando ab infarcto duodeno vel ductu choledocho bilis in hunc influi non potens regurgitat in hepar, unde fit Icterus & excrementa alba cineritia, minusque ſolito tincta apparent; creat etiam tuſſim ſiccam & ſæpe ſuffocativam propter humorum acrimoniam bronchia continuo irritantem, inde fiunt infinita mala. Morbos hos deſcriptos originem ſuam debere lacti coagulato cognoſcitur, ex fœcibus acidum ſpirantibus, ructibus acidis, totius corporis pallore, & præſertim ex fragmentis caſeoſis viridefcentibus æruginoſis, per vomitum rejectis. Rheum, vel ſyrup. Cichor. e. Rheo, vel ſapo Venetus e. lacte datus hunc icterum curant. Eadem fere dicenda ſunt de hoc morbo, ac dixi de meconio diu retento, ſi illud non educatur, tunc morbi inde dependentes augentur & novum ingeſtum lac abit partim in ſerum, partim in coloſtrum Pergameni fere duriei, unde tum magna ſequuntur mala imprimis ventriculi eroſiones ab acido corroſivo facto, & hinc Cardialgiæ fere ſemper lethales, convulſiones & tandem mors.

§. 1339. Quoniam humorum aciditas eſt cauſa primaria morborum, quibus tenelli infantes vexari ſolent; hinc tota cura in acido

expu-

expugnando verſatur, ut hoc optime fiat, duæ requiruntur indicationes, primo acrimoniam acidam eſſe tollendam; ſecundo coagulum reſolvendum, & ſic reſolutum eſſe expurgandum; prima indicatio abſolvitur abſorbentibus antacidis fixis ut Oculis & Chelis Cancrorum, teſta Oſtrearum, putaminibus ovorum, oſſe Sepiæ, Coralliis, Margaritis, Lapide Bezoar utroque, Matre Perlarum, Cornu Cervi uſto, Unicornu, oſſibus ſiccis piſcium, mandibulis Lucii, concha Mutylorum, Oſtracodermatibus, Terris Sigillatis, Lemniis ſigulinis, Bolis Armenis, omnibus terris argillaceis, quæ quo plus exuſtæ & tenues eo magis abſorbent, quæ abſorbendi poteſtas dependet ab eo, quod in iis, ſint pori anguſtiſſimi, inter quos terra ob ramoſitatem intrare nequit, ſi quis formulam deſideret, ſumi poteſt v. g.

℞. Corall. rubr. præparat.
Margarit.
Boli Armen.
Cretæ ana ℥ij
Pulvis è Chelis Cancr. fideliter præparat. ʒjβ
M. F. Pulv.
capiat grana octo bis vel ter de die

Secundæ indicationi ſatisfaciet reſolventibus & ſaponaceis internis v. g. Sapone Veneto, bile imprimis Anguillæ, quæ in paludibus ſemper hærens nullam circulationem fere habet, & tamen eſt valde rapax: ſic & fel animalis non reſpirantis, dentibusque & ventriculo muſculoſo carentis eſt ſummum reſolvens; quod fel ſic præparari poteſt; ſi panis lacti immergatur

gatur & maceretur, donec in illo fiat foveola; cui imponitur gutta bilis, tum detur in lacte, hoc potest quinquies vel sexies repeti, prout res exigit: quod autem bilis optime resolvat caseum istud, patet in vitulo, cui in ventriculo quarto nunquam caseus invenitur, hinc illa in hoc casu pro summo arcano haberi potest; vel dari potest Sapo Venetus, unde formari possunt pilulæ inauratæ cum mica panis & paululum aromatis aliter assumere nolunt; si hoc admisceatur cum bile tanto melius erit; optima sunt illa, quæ simul levi adstrictione purgant v. g. Rheum, ex his cum quodam syrupo & aqua concinnari potest mixtura vel alia pro re nata formula v. g.

℞. Aq. Fœniculi ℥vi
Sapon. Venet. ʒj
Rhei el. ℈jß
Ocul. Cancr. ℈j
Syr. quinq. rad. aperient. ℥j
M.
sumatur ter de die cochleare unum.

Vel
Aq. Menthæ ℥v
Ocul. Cancr. ʒjß
Sapon. Venet. ʒj
Rhei. el. ℈j
Syr. Violarum ℥j
M.

Vel
℞. Aq. communis ℥vi

Lapid.

Lapid. Cancr. ʒij
Sapon. Venet. ʒj
Syr. de Althæa Fernelii ℥j
M.

Quod nonnulli prædicant de aquis Lavendulæ & ejus ſpiritibus item ſpiritu Liliorum Convallium &c. his fides non eſt habenda; ſed harum herbarum aquæ quidem pro vehiculo adhiberi poſſunt. Clyſmata ſunt optima ex diluentibus, additis paucis ſtimulantibus & purgantibus ex Manna, Caſſia, ſyrupo Roſarum cum Senna vel clyſmate ex lacte cum oleo Terebinthinæ, vel ex ſero lactis, Sapone Veneto, & ſyrupo de Althæa Fernelii aut ſimilibus ingredientibbs. Carminantia blanda conducunt v. g. aqua Cinnamomi, Fæniculi, Lavendulæ, Liliorum Convallium, Menthæ, oleoſa interna etiam proſunt nempe oleum infuſum Rutæ, Aneti, Chamomeli, Abſynthii &c. oleum preſſum nucis Myriſticæ; Maceris, Lauri, Palmæ &c. Unguentem Nervinum, Martiatum &c. optime his medicamentis curantur, hinc licet convulſiones ſublatæ ſint, tamen à remediorum uſu non eſt abſtinendum, donec ne nimium ſymptoma urgeat.

§. 1340. Epilepſiæ ab hac acrimonia infantibus peſſimæ fiunt, quæ ſi iis diu durent, plerumque tota vita mentem labefactatam relinquunt, vidi membra retrotracta à ſummis convulſionibus.

§. 1341. Curantur optime Sapone Veneto, aut antacidis cataplaſmatibus regioni ventriculi applicatis; aliter nullum eſt juvamen, ut ebrius, qui in commeſſatione cibis vinoque ventriculum opplevit, unde torpet, convellitur;

tur, tandem omnia assumpta vomitu rejicit, hac ratione malum tollitur & cessat convulsio. Plures sunt nervi in infante, quam in adulto, quia tenerior est, hinc infantes plurimis nervorum affectibus laborant; aliquando causa Epilepsiæ infantibus est, ut adultis, tunc vero his non curatur.

§. 1342. Hic porro alia malorum caterva oritur à vermibus, qui vulgo recitantur triplices, licet plures sunt species Lumbrici digitales rotundi, tum Majales dicti Tineæ, dein minimi instar pediculorum Ascarides dicti. Nunquam vidi infantes, qui solo lacte materno utebantur, his fuisse obnoxios, ut etiam *Drelincurtius* testatur, sed si jam cruda comederint.

§. 1343. Vermes in recens nato non adsunt, sed simulac incepit comedere fructus horæos, carnes, saccharum, omnia ubi muscæ deposuerunt ova, inde oriuntur vermes maxime lumbrici rotundi; ab ovis adhærentibus quibusdam fructibus oriuntur plurimum in infantibus, quia manducant, & non habent viscera robusta, quibus hæc ova destruere possunt & in mucum convertere uti in robustis adultis fit.

§. 1344. Nidum dat pituita, levissimus intestinorum motus, ventriculus debilis, calore foventur, excluduntur, nutriuntur, ab infantum alimento vivunt, crescunt.

§. 1345. Dictum est cur non in adultis, nisi laxis generari possunt.

§. 1346. Dictæ etiam sunt vermium differentiæ.

§. 1347. Motu suæ circumvolutionis & morsu faciunt nauseam irritando nervos, unde

de sensus perpetuus nauseæ, quasi pluma per fauces traheretur; alvi fluor oritur, ut omnis stimulans & irritans hoc producit; hæc prima sunt signa vermium præsentium, si semper nauseant, vomant, alvi fluore & deliquio animi laborent; pulsus exilis adsit, fricent nares, habeant in somno insultus Epilepticos; dentes strideant, si acidum non peccet, quod ex aliis signis scitur, hinc novimus vermes peccare, si infans ultra annum ad decem annos usque tales cibos edat; talibus symptomatibus infestatur; tum cogitatur de vermibus.

§. 1348. Verminosi infantes famelici sunt, pallent, debilissimi fiunt, si vermes majores chylum viscidum consumpserint, fit alvus adstricta, prius si adhuc minores sint & tantum volvantur & mordeant, est alvus laxa, dein adstricta; abdomen fit tumidum, quia vermes liquido suo defraudant cibum crassum transiturum ad colon, hæret in plicis vermibus enecatis.

§. 1349. Docuit Anatome vermes sæpe perterebrasse intestina.

§. 1350. Ut potuerint abire in abdomen, unde sæpius lethales.

§. 1351. Cognoscuntur adesse vermes primò ab anno primo usque ad annum duodecimum; secundo à victu solo lacte sucto, sed comesto caseo lacte emulso, fructibus horæis &c. tertio rubicundi, floridi, robusti infantes non facile laborant vermibus, sed pallidi, debiles, laxique; quinto effectibus, id est, symptomatibus dictis, hæc si adsint, tum dentur anthelmintica; sæpe licet non adsint vermes, ut medicamenta non nocentia.

§. 1352. Sequitur curatio, quæ ſequentibus abſolvitur, primo ſi vermes adſint, ſimul maxime augent & propullulant, poſt tres quatuorve majores vides totos majorum grumos rejectos, nam vermis reſurgit, ut planta accreſcens, ſi nidus non expurgaretur, ubi ſtabulatur, quod optime fit Mercurio, dein optimum medicamentum eſt bilis, dein gummi fœtida imprimis Aſa Fœtida quæ ſi cum $\frac{1}{10}$ bilis bubulæ ad grana tria omni bihorio vel hora devoretur, optime juvet, ſed maxima eſt doſis Aſæ Fœtidæ cum bile ſic ſubactæ. Sequens medicamentum eſt optimum, nam remedia ſunt eligenda, quæ non nimis ſunt fortia.

℞. Rhei el. ℈j
Scammon. gr. ij.
Mercurii dulc.
ruditer triti gr. j.
M.

Si vero nimis conteratur Mercurius Dulcis, tum ſalivationem producit.

§. 1353. *In materie medica* dixi illa arcana; optimum eſt unguentum de Arthanita, cujus dragma una tegulæ calefactæ adſtricta & umbilico appoſita, optime expelluntur; hoc ſolum habet mali, quod ſæpe nimias Diarrhæas & Dyſenterias creet, hinc prudenter eſt uſurpandum.

§. 1354. Quomodo vermes necentur, nemo melius ſcripſit, quam ille *Rhedi Aretinus*; vulgo dicitur, omnia amara occidere omnes vermes, ſed in ipſo pomo Colocynthidis vermes vidi, & in horto noſtro Academico vermes

mes Lepidium comediſſe, ut idem Clariſſimus Vir notat, hinc hæc regula non eſt certa, ſic tamen ab amaris omnes vermes in corpore necantur, nempe cum ſemine Tanaceti, Abſinthii Pontici, Centaurii &c. Mercurialia ſic ſunt conterenda, ne in vaſa lactea ire poſſint, optime vermes necant oleum, quia obſtruit bronchia, eorum, mel & Mercurius, & dein omnia ſalia metallica non amara, hæc vidi in mea cura; uti etiam in illa domicella, cui magni illi vermes, dein tanta caterva minor, de qua paulo ante dixi, fuere expurgata, ſumatur veſperi lenis cœna, altero mane jejunetur usque ad horam duodecimam, detur hora decima matutina uncia una mellis cum uncia dimidia olei potandum, quo epoto vermes movebuntur ad inferiora, tum injiciatur clyſma ex oleo vel melle in aqua, ſic moriuntur; hoc facto die tertio vel quarto reiteretur, hæc aſſumptio, tum ſumatur ſequens remedium.

℞. Scammonii.
Agarici Trochiſat. ana g. iv.
Mercur. dulc. rud.
triti gr. ij.
M. F. Pulviſculus.

Cum melle potandus, una doſi pellit vermes; bihorio poſt injiciatur tale clyſma

℞. Mel. ℥j.
Aquæ commun. ℥ij.
M. F. Clyſma.

Hac ratione vermes necantur & convelluntur. Chalybs crudus mane jejuno ſtomacho aſſum-

tus vermes necat ſcabritie ſua, Vitriolum Martis in aqua bibitum itidem vermes necat. Reliquis de Abſinthio, Colocynthide, Centaurio non adhibemus fidem, quia in his vermes optime vivunt.

§. 1355. Hoc in infantibus fit ope Rhabarbari vel Scammonii & inde vermes pereunt, & licet non pateant inter fæces, tamen ſi mucus craſſus appareat, tum vermes poſſunt eſſe contriti poſt mortem earum à vi inteſtinorum infantis.

§. 1356. Clyſmata ſunt injicienda, cibis eſt utendum, unde nulla fœx alvina oritur, ut ſerum lactis & juſcula carnium, tum vero æger fortiter eſt purgandus, & clyſmata ſunt injicienda, ut omnes fœces abeant, deinde dandum eſt oleum cum melle, & pauco tempore ſanatus eſt infans, at prius viæ ſunt purgandæ, tum talia danda, in quibus moriuntur; quæ ſunt oleum & mel.

§. 1357. Omnia hæc accidentia vel intenſiora vel mitiora erunt ſecundum temperamentum infantis, vel quo plus aut minus nervoſum ejus genus ſuſceptibile erit, ceſſabunt vero vel durabunt quo citius vel tardius membrana dentis & gingivæ perforatur; tandem muſculi faciei ob ſpirituum animalium inordinatum tunc in eos determinatum motum, continuo convulſive moventur, imo ob extraordinariam contractionem plus ſpatii occupantes glandulas & vaſa ſalivalia comprimendo ad crebriorem ſalivæ dejectionem inſtigant, quæ à ſanguine alterata, vel antequam omnis tranſcolationis leges ad normam ſuſtinuerit, ſeparata, à ſtatu naturali decedens aptior ambientis, alterantis & corrumpentis

aëris

aëris vi subeundæ existit, & secundum gradus alterationis, vel causabit tussiculam siccam, vellicando laryngis membranam interiorem vel vomitum, irritata ipsa ventriculi membrana, præsertim si tenelli omne alimentum recusent, quoniam ab illo salivæ vis alterans infringitur & temperatur saliva in ventriculo per aliquod tempus stagnans, magis magisque acris fit, postea in intestina delapsa glandulas irritat, ut uberior in intestina lympha contingat effusio, imo à nimia salivæ acredine adeo afficiuntur intestina, ut convulsionem subeant, quæ largiora alvi profluvia reddit, & dolores atrocissimos in egerenda alvo creabit. Febres accidunt ex vera gingivarum inflammatione, convulsiones hæ aliquando adeo vehementes sunt, ut veram Epilepsiam æmulentur, quamvis mea quidem sententia, non sit: veram enim non agnosco; nisi quæ, ἰδιοπαθεία, quæ hic non est: sed potius contingit, quia adest certa nervorum punctura κατὰ συμπαθεία nervorum; quod hic ideo tantum dico, quia multi circumforanei gloriantur se posse veram Epilepsiam curare, hujusque rei, ut ajunt, testimonia habent; quum postea re bene examinata nil præstent, morbi enim, quibus falso Epilepsiæ nomen imponunt, non sunt nisi convulsiones vel à dentitione vel ab acido peccante vel à vermibus, &c. ortum ducentes. *Hippocrates de dentitione integrum tractatum* scripsit.

§. 1358. Decima pars infantum deinde moritur, quia gingivarum tenuissimæ nervosæ membranæ irritantur, unde dolor oritur maximus à sola nervi punctura, unde convulsiones, &c. quæ sublata nervorum irritatione recedunt.

§. 1359. Si quis forsan adhuc dubitet, omnia dicta symptomata à sola gingivarum irritatione posse oriri, etiam clarissime convincetur; solutis enim vel sponte vel arte ita gingivis, ut dentibus locum cedere possint, statim ultra cessant, manifesta igitur & facilis (ut credo) quæ inde sequitur indicatio erit, adjuvandam nempe esse naturam, ut facilius erumpant, hoc obtinetur triplici modo. Primo Emollientibus, lenientibus & refrigerantibus, ex mollibus glutinosis, antiphlogisticis, quibus gingivæ, utpote inflammatæ, debent foveri, uti paregoricis, parca manu exhibitis ut syrupis Rhaeados, Jujubini, emulsionibus, ut seminibus Papaveris albi v. g. in initio, quando gingivæ prurire & dolere incipiunt v. g. foliis Althææ, Malvæ, Verbasci, horumque ut & Sambuci florum ℥ß; hisce superaffundatur lac dulce tepidum, vel aqua, de qua deinde supernatans cremor viribus Sambuci adhuc magis emollitus auferatur; vel florum Althææ; farinæ Lini decoque, fiat pulticula; adde parum Croci & cremorem lactis, denuo hujus cremoris, & succi è Sempervivo majore vel Portulaca, Solano, Lactuca, (quæ maxime conducunt, si adsit inflammatio) horum recens pressorum pares portiones simul misceantur, quo facto, in illam miscelam specillum lana involutum demittatur, & cum hoc illiniantur gingivæ, externe quoque foveantur maxillæ decocto Althææ, florum Chamomeli, Anethi, vel succo Malvæ, butyro insulso, aut melle passulato, vel mucilagine seminum Cydoniorum, & Althaeæ cum vitellis ovorum mistæ, ut quantum fieri poterit, emolliantur gingivæ, ut inflammationi resistant;

ſtant; cerebro leporino coĉto una cum capite illius & cum melle ſubacto potius quam crudo ex *Galeni* ſententia cum ſanguine pennæ gallinaceæ immaturæ cruentæ ſæpius eos tangere jubet *Hartmannus*; vel etiam medulla ex tibia & pinguedo Leporis, Gallinarum, Anatum, Coturnicis valde commendantur, uti & cerebrum vituli agni, ex pinguibus oleoſis, ut oleis Liliorum alborum vel Amygdalarum dulcium cum Chamemælo; alii vero extollunt Ficus recentes in medio ſciſſas gingivis applicatas; quæ tamen omnia nil miri habent, tantum laxando & emolliendo agunt.

2. Maxillis ſæpe interponendo corpora dura & glabra, ut ſic gingivæ atterantur, ad quod ipſius naturæ inſtinctu ducuntur infantes, dum quævis ſibi oblata corpora apprehendunt, orique inducunt, iiſque gingivas fricant; hunc in finem, ut ſpecificum laudant auctores dentes Lupi, non quod crederem, ut *Sylvius de le Boe*, eos ſcatere ſale quodam volatili, cujus penetrantiſſimus halitus emiſſi promoverent gingivarum perforationem, ſed meræ nobis videntur eſſe nugæ: novimus enim in nullo animali exiſtere ſal volatile, ſed in eo exiſtens ſal eſſe Ammoniaco ſimile, & non niſi ſumma vi ignis volatile reddendum: hinc quidquid durum & politum modo eſt; huic indicationi ſatisfacit, ut Ebur, Cryſtallus, Argentnm, Agates, ex quibus inſtrumento quodam oblongo facto, gingivæ continuo affricantur, ut multo tenuiores redditæ ita aptiores emittendis dentibus evadant.

3. Si hæc non juvent, & ſymptomata magis magiſque augeantur, gingiva illa parte, qua erumpet dens, (quod facile ex inflamatio-

matione cognoscitur) cuspide lanceolæ Chirurgicæ est incidenda, vel quovis alio instrumento scindente, remedium præstantissimum, quod plerumque sanat, sed quod quamvis nullius fere sit momenti, nimis timidæ matres adeo horrent, ut potius infantes suos inani metu summo periculo exponant: *doctissimus Harris* vult adhiberi instrumentum, cujus acuties in latum assurgit dorsum, ut est novacula, existimans alioquin non fieri satis magnam protrudendo denti aperturam illamque statim cicatrice obduci, sed experientia probat, quod simulac vulnusculum infligitur, hiet, & ne coëat tensio satis prohibeat; tamen ut illa difficultas præveniatur, incisio juxta longitudinem gingivarum supra prodeuntem dentem fiat, ut eo facilius dens oriri possit; non, ut sæpe faciunt chirurgi, qui transversim juxta dentium superficiem scindunt, nam si tota cutis non adscendat, plus doloris creabitur, si enim unius dentis superficies scindatur, & propinqua sit acuties dentis canini, supra illam acutiem vicinam trahitur gingivæ membrana, unde pessima oriuntur mala; sectione rite peracta apponitur penicillo cum spiritu Reginæ Hungariæ, & Melle Rosaceo, vel irrorentur gingivæ cremore lactis cum floribus Sambuci & succo Sempervivi majoris, sunt qui unguibus suis scindunt, sed hoc minime probandum, non quod putem, ungues esse excrementa, qui aliquid veneni gingivis possent communicare, unde abscessus & ulcera orirentur, ut voluit *B. Martin*, sed quia ungues magis contundunt & dilacerant, quam perscindunt, unde exulcerationes & gangrænæ oriri possunt.

§. 1360. Febres & convulsiones, quæ inter-

dum hinc naſcuntur feliciter parva doſi ſpiritus Cornu Cervi tolluntur, quod egregie annotavit *Sydenhamus*; vel dentur hujus ſpiritus guttæ duæ vel quatuor pro ratione ætatis cum ſyrupo quodam grato ad dragmas duas, vel cum aqua quadam medicata ter quaterve de die, qui ſpiritus optimos præſtare dicitur ſucceſſus; huc etiam pertinet arcanum *Goddarti* in Anglia olim adeo celebratum, quod vero nil fuit, quam ſpiritus volatilis ex ſerico illo exteriori Bombycum adjectitio deſtillatus, ut poſtea orbi erudito innotuit liberalitate regis Britanniarum Caroli Secundi, qui ſibi hoc arcanum magno pretio poſt mortem *Goddarti* à vidua ejus comparaverat, hoc vero dabat ad guttas tres vel quatuor; ſed idem præſtat ſpiritus Cornu Cervi.

Variolæ.

§. 1361. Variolæ dictæ videntur à Varis; qui ſunt tubercula quædam dura & calloſa faciem ut plurimum occupantia, hinc quoniam Variolæ horum inſtar etiam faciem plerumque pro maxima parte occupant & illis ſatis ſimiles ſunt, non obſonum videtur illas ab his nomen accepiſſe; volunt quidam Variolas Græce vocari ἐκθυμήματα, quia quaſi impetu erumpunt, alii ἐξανθήματα efflorescentias, ſed hæ voces ſunt generaliores, quam ut ſolis Variolis applicari poſſint, denotant enim quemcunque humorum in cute eruptionem; verum cum harum Etymologia, ut & aliæ

liæ ſimiles quæſtiones minus ad rem noſtram in præſenti faciant, potius ad alia majoris momenti tranſeamus, & primo quidem videamus quidnam ſint Variolæ. Variolæ ſunt puſtulæ albæ in circumferentia rubræ, cutim & interdum etiam viſcera occupantes. Albas & ſanioſas dicimus, ut diſtinguantur à Morbillis, qui primo rubicundi & ſicci apparentes abſque ſuppuratione evaneſcere ſolent. Vario modo differunt inter ſe, quædam ſunt magnæ, aliæ parvæ, aliæ intermediæ, quædam benignæ, aliæ malignæ ſcilicet prout plura vel graviora ſymptomata ſecum habent, ſunt plus minuſve periculoſæ, aliæ humore rubello replentes. Aliæ multo pure; quædam duræ ſunt inſtar verrucarum, aliæ ad maturitatem deductæ ſunt albæ, aliæ flavæ, aliæ fuſcæ, ſunt vel ſparodicæ vel Epidemicæ; ut plurimum tamen Epidemicæ ſolent graſſari, & ſunt vel regulares vel anomalæ; regulares vocantur, quæ ſervant initium & progreſſum communem, anomalæ vero, quæ vulgarem ordinem non ſervant. Solent regulares diſtingui inter diſcretas & confluentes, & ita vocantur tantum ratione, qua in facie apparent, ſi enim in facie ſint diſtinctæ, licet per reliquum corpus confluant, dicuntur diſcretæ & è contra. Variolis imprimis infantes ſunt obnoxii, hinc illas hic ſubjungo. Curationi Variolarum per ſuppurationem *Sydenhamo* accuratiſſime & perfectiſſime deſcriptæ nil addendum habeo, hinc ſuaderem, ut quæ ille diſperſa & tota vita hinc incumbens obſervata habet, colligantur in ſuas claſſes; duo tantum obſervata adjungere teneor primo curationem per reſolutionem ſine ſuppuratione, ſecundo aſſertionem, quod hic morbus non mirabilior

reli-

reliquis inflammatoriis; sed eadem simplicitate esse cognoscetur.

§. 1362. Hic morbus patuit esse Epidemicus, nam anno elapso *Viennæ* Imperatori & pluribus aliis Principibus *Parisiis* Delphinis, *Amstelodami* pluribus civibus tunc imprimis fatales fuerunt variolæ. Decembri mense incipientes Variolæ pessimæ, Januario itidem, sed prioribus mitiores. Aprili hic adhuc multo mitiores & leniores, quam Martio. Hoc ita intellectum velim, si morbus appareat Hyeme media erit pessimus, si oriatur Æstate media, non erit tam damnosus, hinc scitur quo tempore periculosior, scilicet Variolæ in summo æstu Æstatis periculossimæ. Multi sunt anni, qui Variolis sunt liberi, & qui illas tum accipiunt, semper Variolis benigniffimis laborant. Si in quodam loco per sex annos non dominaverint Variolæ, si se tum ibidem ad mensis Januarii finem seu ad Februarium manifestent, tum Æstate habebitis pessimas Variolas; in initio vero adhuc facile curare poteris, hinc hic bene advertendum ad indolem morbi, quam curam maxime postulant &c. ut Æstate, ubi tum erit morbus pessimæ indolis paratus sis ad adhibenda ea, quæ in hac Epidemica conveniunt, sed tum fere plerumque lethales sunt. Si vero mense Majo se manifestent, tum erunt mites & bonæ indolis & salutiferæ.

§. 1363. Si quis semel Variolis laboravit, ex mille vix unus iterum accipiet nisi sint alius indolis, si vero habuerit distinctas, tum confluentes adhuc accipere potest; si vero laboraverit Confluentibus, tum nunquam iterum accipiet; hinc hoc venenum ita corpus disponere debet, ut hoc recipere & dimittere aptum sit.

§. 1364. Epidemicus morbus est, qui ex communi causa omnes fere incolas regionis alicujus simul infestat.

Contagio &c. Quod *Sydenhamus* inquit, de Peste, verum est; scilicet illam ex contagio oriri, id etiam verum est de Variolis Epidemicis, nam in his, si infantes ab omni contagio arceri possint, vix iis afficiuntur, imo homo, qui non laboravit Variolis & loquitur tantum cum iis, qui Epidemicis affecti sunt, statim afficitur. Id aëri videtur inhærens, si aër, in quo est positus variolosus, applicetur homini, nec dum iis infestato licet cum eo non jaceat in eodem lecto, nec halitum ejus percipiat, afficietur ex contagioso affecto aëre; forsan rogetis, unde ergo primus accepit Variolas? hoc nescio, sed scio quidem, quod si homo versetur in aëre varioloso, quod si tum non accedat ad variolosum, nec ejus vestimenta attingat, tum liber est; si quis se probe caveat, ille non habebit, sed si tum accedat ad talem ægrum, tum ilico inficitur, scimus aërem cibis & potibus permisceri uti & salivæ, hinc ergo it in ventriculum, & inde quædam pars licet parva intrat in vasa lactea, & meseraica, unde signa futurarum Variolarum se primo in ventriculo manifestant, puto vero tam parum veneni corpori conciliari, ut incredibile sit, nam per guttulam variolosi puris venis hominis sani injectum fit illa diathesis, unde tota sanguinis massa inficitur, tuncque Variolæ oriuntur, sic etiam ab aëre communicantur & ab attactu hominis variolosi.

Pulmonibus &c. Hoc venenum se simul insinuat cum aëre in dicto loco corporis, nam aër hic venenosus per nares, & per os attrahitur, ad

ad pulmones, vel aër haustus venenosus saliva & muco deglutiendis mistus se insinuat in ventriculum, intestina, dein in sanguinem & reliquos humores.

Adeoque habere. Nonnulli homines afficiuntur Variolis, si tantum sint in loco, ubi variolosus dormit; inde causa Variolarum in altero homine producens tam parum est, ut in millesimam partem comprehendat, prioris tum venenum tam minimum applicatum facit Variolas.

§. 1365. *Horripilatio* est satis magna, quia materia jam miscetur humoribus crassioribus & spiritibus.

Oculorum splendor. Custodes infantum scilicet mulieres peritæ ex solo conspectu oculorum contagium esse dicunt, nam oculi sic splendent, quasi inciperent fluere, inde venenum hic prius susceptum tragœdiam suam facit.

Stupor, somnolentia. Habentur hæc bina symptomata pro certis signis futuri morbi; si infantes plus solito torpidi sint, contagium variolosum adesse dicas.

Insultus Epileptici. Hi quoque pro certo sunt signa futurarum Variolarum, nam *clarissimus Sydenhamus* dicit, si infantes dentitione jam perfuncti fuerint, inter certissima instantis eruptionis signa hoc est recensendum, ita, ut si tali insultu talis infans corripiatur vesperi, audeat prædicere sequenti aurora illas prodituras.

§. 1366. Postquam primum contagium communicatum est sanguini, primo & secundo die sanguis non est corruptus, hinc Variolæ ut *Duretus* pluresque auctores dicunt, non sunt sanguinis putrefacti effectus, sed causæ putre-

 faciendi

faciendi ſanguinis, nam ex febre præcedente & ſymptomatibus, quia ſanguis lege circulationis magis movetur, ſequuntur ea phænomena. Quo diuturnior hic ſtatus eo mitior morbus futurus & contra; nam non videtis hominem mori, qui à primo temporis puncto, quo venenum communicatum ſit, uſque ad quartum diem in hoc ſtatu manet, nempe ut maculæ ante quartum diem non erumpant, & ſi tertio die erumpant, tum ſunt ſatis malæ, & ſecundo die multo pejores, ſed poſt tertium diem fere ſemper ſunt benigniſſimæ, & decimo die lethales.

§. 1367. Durat varie hic morbus pro varietate Epidemica, nonnullæ Variolæ tertio die, aliæ primo die erumpunt; præ vehementia morbi peſſimæ ſunt Variolæ, quæ primo die pejores quam ſecundo, mitiores, quæ tertio, blandiſſimæ, quæ quartodie erumpunt.

Pro temperie ægri Variolæ ſunt Phlegmones, hinc cum in ſanguinea temperie diatheſis ad phlegmonem ſe habet, hinc fit, quod in hac cito, contra in Leucophlegmaticis tarde ob rationem priori oppoſitam erumpunt.

Pro vario tempore. Æſtate cito, Hyeme lente oriuntur.

Quo diuturnior &c. Quo tempus eſt longius inter initium horum ſymptomatum & Variolarum erumpentium, optimum eſt; ſic ex natura morbi cauſa ſæpe Variolæ aliæ magnam tragædiam ludunt, antequam extricentur, inde quibus quarto die ab initio apparent Variolæ, illi vix moriuntur, quibus vero ſecundo die apparent, moriuntur.

§. 1368. Jam qualis conceptus oritur morbi inter initium concepti contagii & futuræ corruptionis Variolarum? ſtatus morbi inflammatorii ratio eſt, quia mali cauſa eſt ſtimulus vene-

venenatus humoribus receptus, cujus stimuli effectus excitatur violentia circulationis seu febris.

§. 1369. Unicuique probe attendenti patet, hunc morbum à reliquis Acutis non differre, cùm habeat eadem symptomata, adeoque esse morbum inflammatorium, & sanguinem diathesin inflammatoriam concipere debere, cum nimio motu peccet; hoc insuper confirmat observatio, sanguis enim missus è vena Variolis correpti hominis, primo die est pulcherrimus & salubri simillimus, verum secundo, tertio vel quarto ab invasione die extractus jam est valde viscosus & inflammatus & pleuritico simillimus, & quo plus duravit morbus & violentior fuit, eo magis inflammatus apparet. Ergo erit aliquid, quod sanguini admistum, ejus motum ita augere potest, ut inde illa inflammatoria diathesis in illo oriatur; verum motum sanguinis augebit, quidquid facit, ut cor fortius & sæpius se contrahat, sed hoc efficit primo, quidquid liquidi nervi influxum in cordis villas auget, & secundo quidquid cor irritat, ut auctus cruoris venosi motus, frictio, & quæcumque acria stimulantia. Verum cum hic morbus rarissime à solo aucto motu sanguinis, vel animi passionibus oriatur, quamvis *Willisius* dicat, se quosdam novisse, qui à sola crapula, & exercitio immodico in hunc morbum inciderunt, nullo alicujus miasmatis latentis signo apparente, sed cum hæc exempla sunt rariora; quam ut ex his aliquid certi dicamus, & hic morbus, ut plurimum Epidemice grassetur, debebit ejus causa tam universalis esse, ut pluribus simul possit communicari.

cari. Ergo illud erit in aëre, quod admiſceri ſanguini debebit, vel per ventriculum vel per pulmones, vel per cutim, verum cum hoc aëri inhærens, humoribus admiſtum producat eosdem affectus, hic ſtimulus pro vero ſtimulo quoque haberi poterit. Unde vero ille ſtimulus in aërem venerit, an ab exhalationibus terræ, an ab alia regione delatus, an à priori laborante hoc morbo communicatus fuerit, non determinabimus, ſufficiet nobis ſcire talem in aëre hærere poſſe; novimus enim aërem, qui nos ambit & quam omni momento inſpiramus, non eſſe unum homogeneum liquidum, ut egregie demonſtravit *Boyleus*, ſed conſtare infinitis exhalationibus & vaporibus, forte ex omnibus corporibus productis, variis tamen pro varia regionis natura, loci conſtitutione & anni tempeſtate, aliiſque circumſtantiis; novimus inſuper ex *Sanctorio*; quod omnes homines ætate vegeta & viventes in aëre moderate calido ex octo libris ciborum & potuum, quos aſſumunt intra viginti quatuor horas, quinque per inſenſibilem tranſpirationem amittant, ſi ergo aliquis laboret Variolis, cum ſemper aliquid perſpiret & omni momento & ſecretio ſit talis, qualis eſt ſanguis, non poterit non; quin ſemper aliquid ab hoc aëre communicetur, cum hæc materies perſpirationis ſit pars volatiliſſima & acerrima totius ſanguinis; ſi jam aliquis in pulmonibus illum aërem repletum iſtis particulis recipiat, facile communicabuntur ſanguini, & effectus modo majores, modo minores producere poterunt pro ægri conſtitutione, & varia illorum natura, ita vel altero hoc morbo correpto, poterit hic morbus

per

per totum illum locum Epidemicum evadere, & longe lateque proserpere. Tale ergo miasma sanguini admistum, cum illo per totum corpus defertur, ad cor delatum suo stimulo vellicabit fibras, his stimulatis, spiritus majori copia in has influent, cor se fortius, & crebrius contrahet pro diversa stimuli natura, & sanguinem majori impetu propellet in vasa, sanguinis circulo accelerato intra idem spatium velocius jam circulum suum absolvit, majori quantitate ad cerebrum appellet, unde major spirituum secretio & latera nervosa vasorum vellicata crebrius se contrahent, ipsæ quoque meninges stimulatæ majori copia spiritus expriment, ergo cor fortius & crebrius se contrahet, unde motus sanguinis valde accelerabitur. Aucto motu sanguinis, augebitur vis pulsi liquoris in vasa, renixus vasorum in liquida, auctio liquidorum in sese mutuo, subtiliorum per vasa lateralia minima & glandularum emissaria amandatio, reliquorum inspissatio, in minimorum vasculorum dilatata orificia adacti, eorumdem obstructio, auctum momentum velocitatis per non obstructa; hinc major calor, inflammatio &c. Auctus itaque calor, & aliquamdiu duret, incipiet salia ex semi-fixis resolvere in volatilia, & ex eorum blanda natura, Ammoniacali quam proxima, reddere alcalica acerrima, & olea prius blanda reddere acria volatilia, & fœtida, docet enim nobis Chemia, quod si sanguinem recens eductum è vena sani hominis, in aëre exponamus calori simili nostro naturali, cito incipiet resolvi in verum ichorem, qui odorem cadaverosum habebit, & saporem acerrimum corrosi-vum

vum, & exibit aqua fœtidiſſima cum acidis efferveſcens; ſalia volatilia, acria alcalina reddentur, & reſtabit maſſa, quæ conſtabit ex oleo craſſo terræ intimæ miſto, quæ valde etiam fœtebit & acris erit, cum auctus motus idem efficiat in humoribus, quod ignis, patet humores noſtros nimis aucto & nimis diuturno motu ſimiles ſubire debere mutationes. Nullus datur medicus, qui certo dicere poteſt, ex tali ſigno præcedente ſequentur Variolæ, idem quia primus ſtatus eſt communis multis morbis Epidemicis inflammatoriis à venenoſo ſtimulo, noſcitur tum fere ex cognitione regnantis Epidemici; ſi æger nunquam laboraverit Variolis, quæ regnant, & ſymptomata priora contagii ſuſcepti in eo adſunt vel contagii prægreſſi, ſi æger verſatus ſit cum hominibus varioloſis & inde vapores excepit.

§. 1370. Credo mille auctores de Variolis ſcripſiſſe; legi ex iis plurimos, omnes fere loquuntur de curatione Variolarum per ſuppurationem, ut criſin; cogitavi tunc diu maturo judicio, an non Variolæ exſtingui poſſint, antequam appareant, nam nemo medicorum negat, quod ſi ſanus homo ingrediatur cubiculum, ubi varioloſi decumbunt, quin dicat illum eſſe in ſummo periculo ad Variolas ſuſcipiendas; jam rogo, ſi talis homo ex contagio concepto, dein laboret in tempore, antequam Variolæ erumpunt, an non curari poſſit à veneno ſuſcepto ſi hoc contagium per ſuum antidotum exſtingueretur, ſymptomata tollerentur, ſic olim morſus Scorpionis lethalis fuit, jam vero ſi contundatur Scorpio & applicetur ſeu oleum Scorpionis, tum ſanantur

tur ægri & immunes sunt ab hoc veneno, certum est varioloso dari debere admodum lene, quod tale specificum habet, ut venenum tollat, antequam inflammatio detur, nam Pleuritis à medico nunquam per suppurationem curatur, si inflammationem tollere possit; sed semper conetur inflammationem tollere, antequam illa augeatur; sic Variolæ sunt inflammatiunculæ, quare jam præcavere debemus eorum suppurationem.

§. 1371. Omnia contagia habent sua antidota, sic axungia Scorpii contagio à magna pestilentiali antidotum est, sic Scordium & Alliaria, jam non inveniri potest specificum tale quod corpori permistum post contagium susceptum contra eorum conditiones adferretur. Methodus universalis requiri videtur, cujus ope præcavetur, ne ex varioloso contagio detur inflammatio vel abscessus, ut in Pleuritide fit, ne ex pleuræ inflammatione fiat abscessus.

§. 1372. Antidotum est medicamentum, quod permistum corpori valet susceptum quoddam venenum contagiosum sic domare, ne sequantur effectus, qui aliter ex veneno sequerentur.

§. 1373. *Quale &c.* Ut de oleo Scorpionis inventum est, quod Scorpionis morsum curat.

Indoles. Nam videmus hic excitatam febrem ardentem, suppurationem & gangrænam, sed quibus febris ardens, inflammatio, suppuratio & gangræna curari possit, vidimus, hinc hic non desperandum est inveniri posse aliquid hoc expellens, nam omnes morbos dictos nempe febrim, inflammationem &c. curare possumus, & quod me adhuc magis impellit

pellit ad hoc credendum, est talis febris, talibus cum symptomatibus eodem tempore ac Variolæ grassans, quæ febres ad quartum diem plane curantur sine eruptione Variolarum, si vero jam illud subtile in illo homine, quod illum venenum expellit, sciremus, tum rem inventam haberemus, hoc vero non per vim antidotariam nempe stimulantem fieri potest, sed blande solvendo sanguinem per miscelam, ut exire possit, & expellendo materiam per vias convenientes; hinc mirum est, quid lateat; quod quis non iterum hoc contagio inficiatur; nam ego habui Variolas octavo anno ætatis & nunquam iterum aliquid de contagio sensi, cum tamen tot ægros tractaverim, sed de aliis morbis quandoque quid sensi; hinc in his, qui illas habuere, aliquid hærere debet, quod facit, ut in illo corpore hærere nec Variolas producere possit, & quod superet hoc venenum, ergo puto in rerum natura esse aliquid, quod illud venenum expellit seu superat, sed artis est invenire. *Guido Patinus Parisiensis* inquit in suis observationibus de Variolis, se nunquam vidisse post millena experimenta, quid certum prædici, nisi de eo, quod jam in platea publica viderat, sed nos non ita pergimus, ut quoque *Sydenhamus* pergit, tunc enim sumus spectatores & arbitri tragædiæ, non vero directores.

§. 1374. Ex Antimonio & Mercurio ad magnam subtilitatem deductis, tunc nimia acrimonia spoliatis, per solutionem & coagulationes dulcificatis oritur fere tale medicamentum, ex quo multum vidi successum. Omnes Chemici norunt Mercurium omnes exulce-

ulcerationes tollere ; sic enim si caput ulceribus scateat , tum Emplastrum de Ranis cum Mercurio pedibus applicatur , & caput ulceribus liberatur ; simile quid etiam in Antimonio esse videtur ; verum cum tot adversarios hujus usum improbantes habuerim , in hujus usu non continuavi , ergo hanc rem felicioribus indagatoribus relinquo.

§. 1375. Quis Medicus exspectabit in inflammatione , donec suppuretur , quando hoc præcaveri potest ; si morbus inflammatorius maturius petat cerebrum , quis ejus suppurationem exspectabit ; nam mors statim sequitur , sic nemo in angina exspectabit suppurationem , negligeret enim ægrum , id verum est de cæteris internis inflammationibus , ut de Variolis.

Morbus Variolosus , &c. notat *Sydenhamus* omni tempore suæ Praxeos , cum Variolæ Epidemicæ grassabantur , ægrique hoc contagio varioloso afficiebantur , accidisse , ut materia ita attenuaretur & dissiparetur omni decursu Variolarum pergente sine inflammatione & suppuratione ; hinc causæ adsunt in corpore , quæ materiam dissipare possunt , ne aberret vel abeat in inflammationem vel suppurationem. Si Medici nunquam vidissent , quod Variolæ quarto die apparerent , tum curassent , ut Pleuritidem , nam tribus primis diebus non adest nisi inflammatio , sed Medici dicunt in Pleuritide suppuratio est præcavenda , sed in Variolis cum vena secatur , natura opprimitur , sed vidi plurimos ægros a medicis sanatos , qui non sciebant esse Variolas , ubi venæ sectio & purgationes essent adhibitæ.

§. 1376. Methodus in omni inflammatorio morbo usitata hic quam maxime conducere videtur, neminem credimus negare, hunc morbum vere esse inflammatorium, adeoque eodem modo, quo reliqui inflammatorii esse tractandum. Itaque respicimus ad vim vitæ, an non nimia sit, si vidimus ægrum esse juvenem, robustum, temperie calida & statum morbi nimis validum, & initium morbi sit, tunc tuto venæ sectionem fieri posse credimus, sed si morbus jam per tres vel quatuor dies invaluerit, & obstructio fuerit magna, tum potius ab illa abstinendum, nisi necessitas voluerit, & tunc parva copia emitti debet sanguis, nam tum obstructio forte tanta erit, ut revulsio fieri nequeat, unde patet, quare sanguinis missio aliquando prodest, aliquando vero nocet; Hic valde debemus esse cauti, nam si æger moriatur, tum tua culpa esse videtur, sed tamen puto, ubi symptomata sunt magna & inflammationis signa gravia, venæ sectionem æque esse instituendam ac in Pleuritide nempe per tres dies continuos, licet dicant alii, hic naturæ esse obsecundandum; sed puto hic non plus naturæ esse obtemperandum, quam in Pleuritide.

2. Debemus totum corporis habitum laxare & humectare, ut vasa blande perspirent, & sanguini nimis viscido & inflammato blandum & diluens vehiculum administretur, ergo maxime hic conducunt clysmata, fotus; per clysmata hic non intelligimus illa medicamenta purgantia: verum illa, quæ facta sunt ex herbis emollientibus, liquido valde diluenta, ut ex aqua vel aqua hordei vel sero lactis,

lactis, ut ex floribus Althææ, Liliorum alborum, vel herbis Malva, Bismalva, Parietaria, Taraxaco, Mercuriali &c. addito parum Nitri, quæ intestinis magna copia injecta, per vasa absorbentia sanguini admista, ipsum diluunt & resolvunt. Fotus ex calidis harum herbarum decoctis fieri poterunt, si panni his imbuti applicentur inguinibus, axillis, collo, manibus, pedibus, aliisque locis, ubi minora vasa sita sunt, ut sic etiam magna liquidi quantitas sanguini admisceatur, & vasa nimis rigida laxentur.

3. Æger utatur magna copia potuum diluentium uti ex decoctis Hordei, Avenæ, herbarum emollientium & refrigerantium cum nitrosis, ut Sale Polychresto, Nitro, vel Nitro Stibiato, quod est Nitrum, quod cum Antimonio Diaphoretico abluitur; & subacidis, ex quibus variæ formulæ concinnari possunt. Si ergo hunc morbum bene curare velis, tum illum tractes, ut Pleuritidem.

4. Victus sit tenuis, & tantum in copia assumatur, ne natura in suo opere perficiendo deficiat & cibi, quos æger assumet, sint tales, qui facile digerantur & difficulter alcalescant, ideo si dentur jusçula carnium, sint tenuissima, avenacea, hordeata, oryzata; hic etiam conducunt decocta panata, serum lactis simplex vel lac ebutyratum, vel antiphlogisticum *Hermanni van der Heyden* ex libra una lactis cum libra dimidia lactis ebutyrati vel poma, vel pyra cocta; abstineat æger à nimio carnium esu, imo omnino, ut & à cibis facile alcalescentibus, & ab omnibus aromaticis, quibus sanguinis motus augeri potest: aër sit temperatus & frigidiusculus, quem

quem æger respiret, & reliquum corpus sat bene tegatur, non hic corpus vestibus vel stragulis aggravetur, ut æger semper sudet, sed corpus sit leviter tectum, ne meatus corporis occludantur & perspiratio impediatur. *Sydenhamus* dicit, si homo juvenis calidus plethoricus &c. in Variolas incidat; si furat, si deliret in insomniis &c. tum dicit eum certo moriturum, nisi venæ sectio instituatur, & inde pulcherrimos successus vidi, sed si missio sanguinis nimis instituatur, tum alii Medici te vituperant hac methodo usum, licet sua methodo omnes fere sint mortui.

§. 1377. Vulgus hominum, si habeat infantes Variolis laborantes, in iis curationem non adhibent, sed edere & bibere permittunt suo jure, hi infantes raro ova, carnes animalium &c. solida petunt, sed capiunt plerumque lac pro cibo & cerevisiam tenuem pro potu; hæc assumpta non alcalescunt, sed acescunt, inde sic curantur sine aliis medelis, contra divitibus sibi permittentibus variolosis juscula animalium &c. dantur, unde sæpissime mors sequitur. Medici sæpe putant esse inflammatoriam diathesin in sanguine nondum cognoscentes Variolas futuras, tum venam secant & sanant, sed tamen hanc meam methodum improbant.

Casus. Sæpe narium hæmorrhagia hos ægros curavit.

§. 1378. *Status primus contagii* est illa pars periodi, in qua venenum latens facit omnia symptomata descripta, sed pustulas non habet.

Cutis capitis &c. Hoc vero semper verum est, quo citius & frequentius circa caput oriun-

oriuntur, eo facilius moriuntur & contra, quo citius & abundantius in pedibus oriuntur, eo minus periculi, si vero primo in capite oriantur, tum æque interne in capite sunt, quam externe, hinc inde delirant ægri.

Mitescunt symptomata. Tum putant ægri se melius habere, si vero hæc symptomata non desinant, tum ægri moriuntur

Impedita circulatio. Nam omnis inflammatio est impedita circulatio.

Perspiratio. Quia per totum corpus inflammatio est sicca, hinc nil perspirant, ergo hæc ad cutim appellunt, semiputrescunt, & tunc iterum in sanguinem abeunt, producuntque mira symptomata.

Humor ad interiora repulsus. Quia venenum perspirare nequit per cutim, unde materia, quæ exhalanda est, retroflectitur intra viscera.

Mictus cruoris. Tum ægri inde non evadunt, *Sydenhamus* tamen narrat, quod fuerit medicus, qui ægrum sanguinem spuentem & mingentem habuerat, cui tamen aliquoties venæ sectionem instituit, unde æger fuit curatus; sed tamen hæc facere non auderem, nam hæc signa fere semper sunt lethalia.

Spatio 4 vel 6 dierum. Hæc secunda est periodus, si quarto die inceperint, octavo die erit suppuratio, sic & in Peripneumonia, Pleuritide &c. inde patet morbum esse inflammatorium, si vero sint confluentes & primo seu secundo die oriantur, tum die post bene valent, ut & die sequenti, sed tum die sequenti pessime se habent, nam si tum rumpitur pustula, tum ichor effluit rubellus, & tum sub hac pustula partes apparent gangræ-

 nosæ,

nosæ, si hæ pustulæ in pulmonibus hæreant, tum tussis oritur, usque dum rumpitur pulmo, si in capite hæreant, tum oritur Phrenitis.

Temperie. Quo homo habet violentiorem temperiem, eo citius prodibunt Variolæ. Cruor tunc emissus in hoc statu est inflammatorius vel instar Pleuriticorum, hinc sanguinis diathesis est inflammatoria, effectus veneni non causa.

§. 1379. *Vita lautissima* ex carnibus & avibus volatilibus aromaticis multis.

Remedia &c. Ut Theriaca vel aqua Theriacalis vel Dyascordium Sylvii vel pulvis Comitissæ Kent; sic gangræna in hoc morbo interna occupavit viscera, ac externe cutim, inde hæ Variolæ non abeunt in suppurationem, sed statim ob morbi violentiam transeunt in gangrænam.

Exhalationi. Nam solent multum perspirare, sed omne id accedit ad cutim, & cum loca aperta non invenit, retroit in sanguinem jam semi putrefactum & facit gangrænam.

Tumor. Nam manus pedesque hic immaniter tument, quæ si non detumescant, bonum est signum.

§. 1380. *Inflammationis.* Si æger non multum vomat, nec nauseat, non caleat, non sitiat, non angatur, sed blande in omnibus se habeat tempore contagii, male se non habebit, in statu inflammatorio, suppuratorio &c.

Quo Lentius &c. Simulac mulieres adstantes audiunt Variolas dari, tunc dicunt eas à corde tolli debere, unde omnia talia adhibentur medicamenta, quæ Variolas valde protrudunt, contra *Sydenhamus* ut & omnes

Practi-

Practici observant, quod lente erumpentes Variolæ melius suppurentur.

Quo pauciores, &c. Hi ægri his Variolis laborantes non moriuntur.

Quo plures. Hi omnes fere moriuntur.

Quo magis blandum. Si pus fit candidum, tunc nunquam fere lethales sunt.

Quo materies magis ichorem &c. Si nempe sanies sit flava, subtilis, acris, rubella.

Quo spatium inter &c. Quando pustulæ jam incipiunt suppurari & locus intermedius non est roseus, sed pallidus, tum est pessimum signum; ratio est, quamdiu cutis intermedia non friget, tum datur continua circulatio inter vasa, & inde neminem vidi mortuum; si cutis pallescat, è contra vasa intermedia sunt erosa.

Quo idem plus pallet. Hoc ibi notat circulationem deficientem.

Angina sequitur lethalis &c. Si æger subito dicat, non deglutire possum, plerumque intra tres horas est mortuus, vel si dicat suffocor, non possum respirare, & anhelat, convelliturque, tunc in pessimas abit Variolas.

Nisi salivatio. &c. Quando tota cutis est æque dura ac cornu; tum nulla fit perspiratio, & sanguis plenus est materia gangrænosa, tunc restituitur in viscera, sic in fauces vel pulmones abit, ubi lethales inflammationes producit, sed si salivatione discutiatur, vel ad extrema corporis loca non ita periculosa moratur, tum sæpe salutaris est.

Si in locis &c. Verum hoc raro accidit, sed aliter lethale signum.

§. 1381. *Indicatio hoc in statu*, &c. Si cognoscatur dictus morbus, tota cura erit, ne fiat

progressus inflammationis, ne sequatur suppuratio, scilicet si medicus advocetur in initio inflammationis, aliter frustra aget, si incipiat suppurari, medicamenta antea dicta sunt, sed si neglectum hoc fuerit, ut plerumque semper fit, & suppuretur, tum modo tentandum, ut ad inferiora trahatur suppuratio; hæc est methodus *Sydenhami*, si scilicet nimis cito & violenter agat inflammatio, studet lenire, ne nimia oriatur suppuratio, id ad inferiora deducere; tunc omnes medici putabant sudorifera esse danda.

1. Dictum est ante.

2. Dictum etiam est superius.

3. Detur medicamentum resistens degenerationi nimiæ copiæ sanguinis in pus, ut aquosa, nitrosa, cruda, leviter acida, imprimis vero Antimonium Diaphoreticum & Sal Polychrestum.

4. Hoc nunquam omisi, nam hoc esset certissimum, quo plures pustulæ caput petant, eo citius morietur æger, quia metuitur tale quid cerebri meninges afficere, contra unius hic intentio medici est ducere ad pedes, balneis laxantur pedes; fotus non sit violentus ex Allio, Cæpis, epispasticis, quæ laudat *Sydenhamus*, sed optimum est fomentum acre sub poplite & plantis pedum applicatum, ut ibi perpetuo fiat attractio. Epispastica hic non adhibentur, ut sanguis attenuetur, nec moveatur plus, sed nil boni hic faciunt, nisi quod de loco in locum derivent pustulas, hinc jubeo, ut sedeant ægri in balnea, applicentur fomenta &c. & sic ad extrema seu ad pedes pessima materia derivatur, capite interim libero manente.

5. Deprehendi, quo magis calidum corpus inferius eo plus deferri pustulas, hinc pedibus lapis

lapis calidus apponatur, poplites sint calidi, femora tecta, abdomen tectissimum, thorax levius tectum, caput non tectum, hæc in initio fiant. Hic multi dixerunt me ab initio suadere, ut jaceant supra pavimentum marmoreum, sed errant, contrarium semper docui necessarium hic puto aërem debere renovari, ut fenestræ aperiantur, & tum cortinæ claudi possunt; fenestris vero clausis cortinæ aperiantur, hæc ex *Sydenhamo* habeo, qui hæc pulcherrime annotavit & ita cavetur, ne suppuratio fiat nimis magna seu in gangrænam tendat.

6. Ægri vesperi maxime laborant, id fit à pure irritatis nervis, tum si sanguis profluens dilutus sit, ut dictum est, granum unum Opii juvat, hoc didici à *Sydenhamo*, qui illud notavit, sed hac ratione tantum est administrandum, non aliter.

§. 1382. Sequitur tertius morbi status suppuratorius, qui durat eo usque, donec pus integre factum sit, nec pustulæ amplius increscant.

In eo pustulæ rumpuntur. Pustulæ si albescere incipiant, plerumque quarto die rumpuntur, aut pus exhalare incipit.

Tum vero tota pinguedo, &c. omnia vascula pure plena pustularum sunt, locus fit aridus, medius inflammatur, vidi, qui à pedibus ad verticem habebant ulcerandas pustulas.

Hoc impedimento. Hoc est pessimum periculum imminens à pure facto, vidi à capite ad calcem habentes ulcera, cutis non perspirat, sunt ibi venæ lymphaticæ absorbentes, pus subtile factum est, quod hic resorbetur ad cor, pulmonem, cerebrum, si ad cerebellum, clarissi-

riſſimum eſt fore delirium, ſi pus immineat ſine bona cauſa; & incipiant delirare, vix tribus horis amplius vivunt, ſi ad pulmonem fit Dyſpnæa, anxietas, Peripneumonia, & breviſſime ſæpe moriuntur, ſi ſuperet pulmonem & deponatur ad hypochondria, aggregatur ad hepar, ægri moriuntur anxii, ſi feratur per vaſa biliosa, oritur Diarrhæa Colliquativa, unde cito moriuntur.

Febris hæc dicitur purulenta à cacochymia reſorbta in ſanguinem, non vero febris ſuppuratoria, nam hæc ad finem inflammationis oritur, & ab hoc pure æger ſæpe ſuffocatur.

Hinc pro vario, &c. Hoc viſum eſt in multis ægris, poſtquam abſceſſerunt Variolæ, quædam partes ſuppuratæ ſunt, nares, hepar, oculi, &c. hinc tot diverſæ Phthiſes.


§. 1383. Pus ad hæc loca depoſitum, ſi diu maneat, fit quotidie acrius & tenuius, externe cruſta tegitur, inferne calore corporis coquitur, tenera ſubjecta erodit ſæpe usque ad oſſa, ſed plerumque in pinguedine & cute ſubjecta tantum erodit, ut cicatrices oriantur, ſi pus acre, inflammatio magna, cutis arida ſit, hæc tum accidunt; ſi vero pus mite, cutis humidior & cito rumpatur, tum raro id fit.

§. 1384. Quid tum faciendum? fere deſperandum eſt, nam ſi hos ægros curare velis, tum ſemper adeſſe debes, quod negotia multoties non permittunt, nam ſæpe fit, quod tecum loquantur, & ilico poſtea moriantur, ut mihi ipſi ſæpe accidit. Multi, quibus in hoc ſtatu adfui, quos in corpore vacillare & pulſum deficere, Dyſpnœam pati vidi, illi ilico fuerunt mortui eodem modo ac ſi æger ſanus ex

ex quacunque causa in animi deliquium incidit, tum sanguis retropellitur in vasa majora, & arteriæ minores instar venarum adigunt sanguinem ad cor, & sic uno momento hi pallescere incipiunt, sic & hic fit, nisi quod illud animi deliquium in mortem terminetur; hinc ut hoc præcaveamus hæterogeneum illud ab interioribus ad exteriora trahendum, ibique viæ sunt aperiendæ & lubricandæ. Hinc ponebam pannos lacte recenti & pauxillo sale admisto immersos circa cervicem, jugulum, spinam dorsi, inguina, poplites & pedes, cæterasque externas corporis partes, & hæc calida fomenta perpetuo repetantur sed si in balneum vaporis ferre possint, tum hoc melius adhuc judicarem, sed ordinario sunt nimis debiles, *Sydenhamus* hic fortiora suadet, nempe Vinum Canariense, quod nimis est forte, ergo minime approbo, sed tamen minima copia dari licet; hac ratione partes externæ bene perspirabiles redduntur, si vero nimis debilitentur, tum pus introcedit, victus sit ex jure carnium &c. addo sal, ut putredinem avertet, & parum acidi in similem usum, nullum nobilius remedium ad extropellendum est quam Vinum Canariense modice bibitum ter quaterve de die ad unicam unciam. Juxta *Sydenhamum* contra enormes impetus datur Opii aliquantulum; si hæc non prosint, nescio quid curare possit, scio quod *Sydenhamus* ad venæ sectionem recurrat, sed in corpore suppurato est satis periculi.

§. 1385. *Si morbus vehementissimus &c.* Si pustulæ limpidæ, lethale est signum, tum totum corpus in cute exteriori est gangrænosum, externi halitus acerrimi, quomodo corpus interne afficietur.

Pustulis. Putant vulgo ægri Variolas tantum hærere in cute, sed hærent intra nares, os, æsophagum & reliqua loca æque bene quam externe, sed ibi citius maturescunt, hinc faciendum, ut ab his locis avertantur, nam si ad externum caput hæreant, tum etiam erunt ad meninges, hinc optimum est, ut sint ad pedes; in his locis supradictis ipse vidi, sed ex recenti observatione Anatomica constat etiam in mesenterio fuisse repertas. In hac curatione nemo Medicorum, si candide profiteatur, sanationem certo promittere posset, quia nondum certa methodus in his detecta, nam si hoc esset, tum certam promittere possemus. Quibus summo delirio, Dyspnœa, vel anxietates vel sanguinis mictus vel sputum non curantur; inde patet methodum curandi non esse bonam, licet medici sibi glorientur, nullos sibi mori variolosos, quod per naturam fit. Methodus vulgata est hæc, ut ægris præscribant potum calidum, & jubeant in lecto bene tecto decumbere, & tum dent decocta stercoracea ovilli & simul pulveres absorbentes, nempe pulverem Comitissæ Kent, vel alia millena calefacientia, sed hæc faciunt, ut in pejus morbus ruat, & nemo nisi sponte hac methodo emergit.



Morbi Epidemici.

§. 1386. Ponamus v. g. Quartanam, hæc empe dicitur Quartana, si modo typum servet, sed quandoque sine ullis symptomatibus est

est & sine Cortice Chinæ curatur, quandoque iterum alio anno eadem observatur Quartana, sed dato Cortice ægri se male habent. Sic jam & ante biennium res se habuit cum febribus grassantibus; hinc nil dedi nisi resolventia, & inde sanabantur, ut in Nosocomio vidistis, sic & Variolis diverso tempore grassantibus diversa est cura; hinc ex primo & secundo ægro discere debemus; an aliquid præter generalem methodum requiratur, & tum semper bene advertendum, an tua methodus valeat. Sic *Sydenham* dicit se tot millenos homines à Variolis laborare vidisse, sed tamen ultimas pessimas Variolas non potuisse curare, antequam invenerit spiritum Vitrioli.

§. 1387. Patet.

§. 1388. Illud, quod morbus Epidemicus à Sporadico distinguit, tantummodo in aëre hæret, non vero fit à calore, nec à frigore nec humiditate, nec siccitate, sed inde fiunt morbi Sporadici, ut gravedo, Rheuma &c. *Morbi Epidemici sunt, qui certo tempore omnes incolas ejusdem urbis, si ejusdem sunt temperiei, æqualiter afficiunt.* Temperiem eandem esse debere videmus in Peste; ubi omnes senes, homines torpidi; in Peripneumonia vero omnes juvenes servantur, & sic non scio ullum Epidemicum morbum, ubi omnes servantur & omnes inficiuntur.

§. 1389. Contagiosum voco, quod ex uno homine alteri communicatur, sicque potest esse morbus Epidemicus, ubi tamen non sit contagium, uti anno millesimo septingentesimo decimo & nono, hinc ab aliqua re in aëre hærente hoc fieri debet, nam homines una cubant, se attingunt &c. hinc ab aëre depende-

re debet, quem communem habent, sed tamen ex aëre calidissimo non sequitur, ut putant multi pestem futuram; nam sæpe pestis oritur in regionibus frigidissimis in summo frigore, sicut putem hoc ex aëris constitutione prædici non posse, nam semel omni die notavi Thermometro & Barometro aëris calorem & gravitatem, hocque diu continuato, tamen inde nullas regulas invenire potui; hoc quoque *Sydenham* fatetur.

§. 1390. Si centum ægri sint affecti, videbitis unum accepisse ab altero, sed unde primus accepit? qui non habuit commercium cum alio, non afficietur; quid hic sit ignoro non vidi puerum affectum, quin conversatus sit cum puero affecto, sed si unus habuerit, plures statim accipiunt; optime liberi sunt, qui in villa ampla campestri aëre puro vivunt.

§. 1391. Ergo morbus Epidemicus est, qui oritur ex qualitate quadam aëris imaginabili nec dum explicabili, quia uni homini applicatus accipit vim aliis applicandi.

§. 1392. Decursus & exitus morborum multum lucis dederunt.

§. 1393. Multum utilitatis anni distinctio in medicina affert; nam hic duplicem periodum observamus, nempe primo à Februario ad Augustum, hoc dicitur tempus Vernale, secundo ab Augusto ad Januarium, dicitur tempus Autumnale, hoc solus *Hippocrates* & post eum *Sydenham* observavit; si mense Januario deteguntur febres tertianæ, tum ordinario circa Augustum fiunt morbi pessimi, ut anno 1719. observatum est; hoc arcanum *Hippocrati* fuit, ille sic agit, talis erat tempestas, talis ventus, talis

talis aër, victus in regione tali, invadebat morbus cum his phœnomenis, hinc si illum sexum maxime infestaret, erat primo die urina talis, talis respiratio, vomitus &c. æger tum assumpserat hoc illudve medicamentum & inde sic se habuit, & sic omnia historice recenset, quid vero agendum sit lectoris judicio relinquo.

1. Inquiritur an ad speciem inflammationis, suppurationis gangrænæ subito factæ pertineant, si ignoretur morbus, & modo sciatur, quid sit inflammatio, & ex generali illius charactere cognoscatur.

2. Omni anno tantum semel fit unius generis Epidemicus morbus; Vernus definit Augusto, Autumnalis Januario, si novus morbus oritur, habebit maxime similem genium morbo v. g. Verno, qui vagatus est.

3. Ignoro totum morbum, sed v. g. video, quod ægri antequam moriuntur, delirent, video non mori, nisi cerebrum corrumpatur, & cito inde mori, tum cognosco esse gangrænosam cerebri inflammationem.

4. Omnis æger ab ingestis & egestis adjumenta & nocumenta maxime observat, hinc à juvantibus & nocentibus sponte contingentibus maxima est lux medico.

5. Si v. g. habeam sex ægros in initio Epidemiæ, tum jubeo, ut ise abstineant & servent moderatum calorem & quietem; præscribo medicamenta omni acri opposita v. g. decoctum Hordei cum aliquo syrupo, & tum video, quid natura sponte moliatur, an motus augeatur in humoribus, an vero minuatur, & quid inde boni seu mali? si motus augeatur, & æger inde se male habeat, tum

venæ sectio est instituenda, si minuatur, & male se habeat æger, tùm cardiaca præscribo, & sic in morbi affectis facile curam intelligo, si vero medicus decem ægros habeat, & omnes turbet seu per purgationem seu per vomitorium seu purgationem, tum ex mille ægris nondum morbum addiscet, si vero videat, quod æger vomat, & ex effectu videt vomitus causam non esse inflammationem, tum dari potest vomitorium, si vero in initio detur, tum medicus incertam ingreditur viam, & nocere & juvare poterit.

§. 1394. Ex his sex regulis semper aliquid cognitionis morbi epidemici accipit medicus, ut optime docet & exemplum subministrat *Sydenhamus* imprimis in Variolis, in quibus è bullulis limpidis ruptis, aqua effluens limpida subsanguinea sub iis oriri gangræna scitur à materia acri corrodente, quæ gangrænam facit, post demigrationem Variolarum moriuntur ægri; in his diluentia acida optima erant, & testatur tandem *Sydenhamus* optimum fuisse spiritum Vitrioli in potu, unde fere omnes ægri fuerunt sanati; sic observatione incognitissimi morbi fiunt cogniti.



Calculus.

§. 1395. Vox calculi apud auctores Latinos diversas habet significationes; aliquando ponitur pro latrunculo *Martialis*

His

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Pro suffragio sumitur *Ovidius*

Et omnis calculus immitem dimittitur ater in urnam.

Pro rationibus, quia veteres lapillis subducere solebant rationes; hoc sensu venit apud *Ciceronem* ad *calculos amicitiam* vocare. Videtur diminutivum esse à calx, quatenus lapidis notione venit apud *Plautum*

Quin prius disperibit saxo, quam unam calcem civerit.

Verum posthabitis & aliis hujus vocis similibus significationibus uti & derivationibus, quia nihil ad nostrum scopum faciunt, apud Medicos per calculum intelligitur materia dura friabilis, in aqua non solubilis, in corpore animali naturaliter concreta; hinc calculus est corporis solidi ac lapidei generatio præternaturalis, in quibuscumque machinæ partibus producta, sed tamen renibus, ureteribus, vesicæ ac cæteris vasis, tam urinæ secretioni & distributioni, quam excretioni inservientibus magis familiaris, particulis viscidis, glutinosis ac salsis, terrestribus intermixtis constans; Græce λίθος ut & λιθίασις nuncupatur. In omnibus fere corporis nostri partibus lithogenesiam procedere, omnes pene omnium artium medici solertissimi memoriæ reliquerunt nostræ. Sic uterum, intestina,

guttur, pulmones, lienem, ventriculum, asperam arteriam, cor, glandulam pinealem, cerebrum calculis obsitum ex observationibus constat. Hinc ubique locorum in corpore a capite usque ad calcem calculi sunt inventi, nam si homo per globum plumbeum sclopeti tangatur, & ille globus in corpore hæreat, tum semper calculosa materia illi circumaccrescit, calculus vero est quod in corpore humano genitum, calore & frigore friabile est, in aqua raro dissolubile, concrescens intra vasa. Si homo sanus sit, & mane lotium reddat, si tunc hæc urina microscopio inspiciatur, tum nil in ea apparet, sed si paulo post steterit, tum nigrum punctum apparet, quod si microscopio inspiciatur, est arenula, quae ut plurimum rubra est, & in aqua non dissolvitur; in calore & frigore friabilis calculus est seu à basi heterogenea seu sine basi ex materia terrestri urinæ; sic *clarissimus Nuckius* sumpsit globos duos unum ligneum alterum eburneum, & hos per vulnus in vesicam canis deposuit, canisque vulnus consolidavit, dein post aliquod tempus canem secavit & invenit duos calculos, in quorum medio & nuclei hærebant, & crustam modo contraxerant, hinc videmus, quod omne heterogeneum corpus necessario semper augeatur & majus fiat, & quod materia calculosa semper adsit.

§. 1369. Patet sanguinem humanum æque ac omnes animalium partes, primum tantum putrefactionis gradum acquisitas, constare spiritu, sale, oleo, & terra, Eademque obtineri sanguine recenti sanissimi hominis analysi eorum subjecta, licet in principio prodierit insipida, inodora, pellucida, terrestrem sem-

per materiam adhuc deponens, aqua. Imo urinam juxta institutiones Boyleanas per Chemiam resolutam, similia exhibere & quod magis est, quando *Clarissimus Boyleus* calculum ipsum destillaverat, omnia eadem, quæ ex urina, licet proportione inversa, extraxerat; quis præterea quotidie non observat variæ consistentiæ, variique caloris hypostases ad fundum urinalium ex urina subsidere? Imo ipsis matularum lateribus materiam crassam, lapidosam, terrestrem nostræ definitionis accrescere? Non quidem hic dixero ac si talia, qua talia, in sanguine animalis vivi præextitissent, quod sanguis iis constet particulis, quæ mutatæ per Chemiam, talia exhibeant, & non alia. Situs & exitus arteriarum emulgentium ex aorta in renes valde ad angulum rectum continuant, eæque statim in innumeros ramos arcuato & serpentino ductu dividuntur; hinc clarissime patet sanguinem has ingredientem debere esse admodum diversum à natura illius, qui rectam lineam in aorta prosequitur, id est magis aquosis, levioribus, terrestribus & à sphærica figura magis recedentibus constare particulis: & quod doceant hydraulici, quo particulæ cujusdam liquidi, in canali quocumque moti, sint solidiores & sphæricæ, eo suum motum ad lineam rectam magis continuent, quo leviores vero, & magis ineptæ seu angulosæ ad latera injiciantur. Si his addideris ipsam structuram rerum interiorem, quatenus considerationibus Anatomicis retrogrado modo, id est à pelvi incipiendo prosequi eam poteris, semper deprehendes illos, quoad urinam à sanguine secretam deferunt ad pelves, constare ex folliculis, papil-

lis & tubulis secretoriis haud absono argumento, quemque Renem integrum ex talibus folliculis &c. quorum maximus est ipsa pelvis, esse compositum dixeris; sic ut urina, antequam per tubulos ex folliculo in folliculum, ad pelvim & inde per ureteres in vesicam protrudatur; remoram semper aliquam pati debeat. Si sanguinis grumus hæreat in renibus, tum tenuissimum secedit & terrestre manet; circa quod undique accrescit, arena eodem modo, ut circa filamenta saccharum fusum accrescit, unde fit saccharum candum vulgo *Candy-suiker* Belgice.

§. 1397. Talis grumus à nova materia semper accedente major factus vi vitæ adhuc superstite, protrusus ulterius, distendit vas continens adeo, ut tandem rumpatur, sed tunc non in venam annexam, sed in vas tertium, quod secretorium est, prolabi potest, & sic ex alio secretorio in aliud, tandem pervenit ad pelvim; ubi semper magis ac magis accrescit, donec qua data occasione protrudatur per eam ad vesicam, iterum ipsum retinentem, vel pone eadem hac inflammatione in aliquo folliculo (sive majori vel minori ipsam urinam jam secretam à sanguine, stagnare, uti facile fieri potest, si à vasis obstructis & per consequens tumentibus tantum comprimatur unus, tunc statim vicinus se in illum exonerare non potest nec retrogradi contentum, ergo necessario stagnat. Quid mirum hic nunc eadem valere posse, quæ in præcedenti methodo, hac enim stagnatione fit secessus crassioris à liquidiori cum liquidissimum transudat, & crassum remanet, hoc autem constat iisdem principiis ac præcedens, ergo quo-

quoque continuo accrescit, & tandem protruditur in pelvem; ex hac in ureterem; ex hoc in vesicam, si ægri emingantur, tum non sunt Nephritici dicendi, sed proprie Latino vocabulo dare non possumus; sed Barbare graveolosi sabulosi, hique habent diathesim ad calculum, & in horum urina calculus invenitur, & hoc Belgice dicitur *graveelagtig*, si vero calculus in urina demittatur; in aëre concrescit, inde sequitur hanc habere calculos, ergo hoc naturaliter fit.

Specie grumi. Si arteriæ vicinæ à calculo contritæ sanguinem stillent, qui grumescens excernitur.

Puris. Si in parietibus contusis fiat suppuratio.

Carunculæ. Si hæ partes suppurentur, & vi fluxus avellantur, ut se non teneant, sed rumpuntur, exeant, quod pessimum est signum.

Mictus sanguineus semper fit à calculo nimis acuto, nam raro hoc fit à motu seu vasorum laxitate.

§. 1398. Raro dolor Nephriticus oritur, si calculus in renibus adhuc hæreat, si vero in ureteribus, tum exquisitus oritur dolor & inflammatio. Quia pelvis est amplissima, ideo sæpe calculus cadit in pelvim. Nulla causa tam valens est, quæ eo calculum expellere potest, frustra dantur illa Diuretica calculum pellentia; si partes sint corrosæ, nullum medicamentum partes aperiet.

In Ureterem. Urina ad impetum & vim respirationis ad flexus sistitur, ad vesicam plerumque est valvula, ubi sæpe iterum hæret, tan-

tandem in vesica hæret ad urethram, ibi quartam patitur resistentiam, vel enim sistitur in rene vel in pelvi ad initium ureterum vel ad urethram. Manet sæpe quietus in vesica, ibique à materia transfluente accrescens augetur, & misera mala producit. Quamdiu hæret in renibus vocatur Nephritis calculosa (Belgice *graveel*) ubi pergit per ureterem ad vesicam, si ibi hæreat, vocatur Calculus, non amplius Nephritis.

§. 1399. Nam si calculus hæreat in vesica, tum vesica semper premit in calculum sphinctere laxato, ut tum necessario fit, & tum calculus si non nimis magnus sit, expellitur, nam continuo hi ægri conatum habent ad mingendum, quod instituto naturæ accidit, hinc hujus ductum sequi debent, & dolorem inde oriturum non extimescere, nam plerumque hac ratione liberantur.

§. 1400. Hic enim non diu morari debent calculi, quin augmentum capiant, nam in vesica omnium optime materia ad generandum calculum disposita est, & præsente quodam solido corpore adhuc magis disponitur: præterea ipsius vesicæ cavum instar lagenulæ inversæ urinam continens, concedendo omnibus particulis huic negotio aptis ab omni puncto liberum accessum, accretionem non parum facilitat, hinc quamdiu in vesica manet, quia semper nova urina affluit ab accedente materia perpetuo nova crustula obducitur; calculum autem hacce lege augescere docent calculi dissecti instar bulbi cæpæ ex innumerabilibus orbiculis sibi invicem appositis, constantes & semper quasi nucleum, qui basis calculi fuit, in medio habentes. Calculi

in

in vesica protrusi vel ejiciuntur vel, si non, accrescunt & tandem crystallisationis specie majores ac majores fiunt, quia ibidem liberius sese extendere possunt, vasis nullis per compressionem illis resistentibus, unde sæpius magnitudinem acquirunt monstrosam (quod contrarium est in renibus, ibi parvi sunt calculi, vel ex materiæ discrimine inde fabricandi, vel ex constitutione vasorum substantiam comprimentium & molem impedientium) per crystallisationem id fieri, quis forsan miratus erit, quam attamen *Clarissimus Nuckius* per experimentum edoctus clare demonstrat, canis vivi abdomen aperiendo, cujus in vesica per vulnus inflictum instrumentum ligneum immisit, postmodum denuo sarta, quod per aliquot septimanas plurimis calculis obsessum & crystallis erat indutum. Hic non omittenda mihi videtur fibrarum tam transversalium quam longitudinalium contractio sufficiens negata ob defectum vel excessum excusatum spirituum per nervos ad musculares partes accidentium, easque non satis irritantium & ad ulteriorem propulsionem stimulantium; adde quod tota vesica sæpius incrustata & lapidificata sit, ut sese contrahere nec dilatare possit.

§. 1401. Verum licet majoris commoditatis gratia principium calculi vesicæ ex renibus deduxerim, tamen non pauci Doctissimorum Virorum putant non opus esse istud semper inde quærere, sed posse sine ulla prægressa renum labe efformari etiam primum calculi rudimentum, quod calculum generat, contra sententiam *Fernelii*,

nelii, qui ſtatuit: omnes ſuum ortum renibus debere. Quamquam ſententia *Fernelii* mihi ſatis arridet, optimo viro tamen eo usque non aſſentiri poſſum, quaſi contrarium nunquam contingere poſſet; notum enim eſt veſicam inflammationi, ſuppurationi, ulceri, ſcirrho &c. obnoxiam eſſe, in quibus caſibus, ſi ipſi aliquid inſolubile concretum pus &c. largitur, in veſica reſtans nucleum futuri calculi conſtituere poteſt; cæterum ſi non quædam cauſa externa aliquid præternaturale in veſicam adegerit v. g. globulum ſclopeti plumbeum; uti infelices caſus in militibus probarunt, ſcilicet calculum talem globulum pro nucleo habuiſſe, & in muliere quadam improvida, quæ eburneum inſtrumentum in meatu urinario abſconderat, quod ex veſica calculoſa cruſta & valde aſpera obductum, deinde extractum eſt. Calculi albi minus friabiles ſunt; cinerei minus facile exeunt, cærulei plus metuuntur, & durius concreſcunt, nec friabiles ſunt.

§. 1402. Signa calculi veſicæ ſunt. 1. Ad perinæum pubemque vaga titillatio. Ea de ratione quia calculus quocunque corporis motu ſitum ſuum mutet neceſſe eſt, hinc aſperitate & inæqualitate ſua veſicæ membranam vellicat & pungit, quæ vellicatio ipſi urethræ, glandi penis & præputio communicari poteſt, utpote quæ habent membranam cum ipſius veſicæ interiori communem, hinc adeſt pruritus & tenſio virgæ, unde pueri pudenda ſæpe fricant. 2. Frequens mejendi laceſſit cupiditas ab urethræ titillatione, unde membrum virile in adultis ac pueris ſæpe erigitur. 3. Quoddam grave infimo ventri

tri ac inteſtino recto inter offa pubis incumbere ſentiunt pondus: Quoniam hic loci ſita eſt veſica lapidem continens; quod pondus pro vario corporis ſitu de latere in latus devolutum in dolorem vehementiſſimum degenerat, præcipue quando inſcius lapidi alliditur pes. 4. Mingendi difficultas ſæpe oritur. Poteſt fieri, ut anterius veſicæ orificium occludatur calculo, unde urinæ retentio ſimul teneſmum cauſans, vel hac acris facta, ardoreque atrociſſimo proveniente, quaſi ferrum candens ipſis duceretur per urethram, conqueruntur, quæ etiam ſæpiſſime per urinæ acredinem excoriatur; eo modo aliquando ſupprimitur penitus vel paulatim, vel uti urinæ ſtillicidio laborantibus, effluit. Nonnunquam aut ſanguinis, aut cruenti, aut purulenti quid cum ea excernitur. Hoc fit, quando motu corporis movetur calculus aſperitate ſua lædens intus veſicam. Aliquando urinæ ſunt albæ lacticiniæ. Inde quia calculus ſtimulat glandulas, ut mucum proferant cum urina excernendum, falſo pro cauſa calculi materiali habitum. Certiſſimum omnium habetur ſignum, dum Chirurgus cathetere per urethram immiſſo, digitoque inuncto oleo in inteſtinum rectum introducto, explorationem facit, quod poſterius in pueris maxime locum habet, in provectæ ætatis viris vero minus; in fæminis autem, per uteri vaginam, urethram, in veſicam cathetere immiſſo, ægra ſupina jacente.

§. 1403. Signa calculi renum ſunt. 1. Dolor in lumbis pulſatilis circa renum regionem, vel in dextro ſiniſtrove, vel ambobus lateribus, prout dexter vel ſiniſter, vel ambo re-

nes sunt affecti, qui manet pali ad instar fixus: quia illa materia dura, insueta distendit, gravat sauciatque, imprimis si sit aspera & acuta, partes continentes dilacerat & diutissime hæret. Invadit aliquando ex improviso ut ægro, stet, sedeat, aut decumbat, impossibile sit pati, & quasi ferrum candens in eo loco urat, nec mirum, facit enim inflammationem. Aliquando in lateribus, cum scilicet calculus ad ureteres descendit. 2. Dorsi ægra difficilis ac dolorosa incurvatio. Nam sive extendatur dorsum circa lumbos debet fieri motus & pressio; hic vero partes sunt inflammatæ, utpote renes extra limites (ut ita loquar) extensi nullo foras tumore conspicuo, ob musculos Psoas non facile cedentes. 3. Cruris è directo reni affecto oppositio stupor. Quia renes lumborum musculis cruri flectendo dicatis, Psoas dictis, incumbunt, qui dum à tumefactis renibus vel scabritie calculi inflammatis, comprimuntur cruri non sufficiunt adducendo; ita ux vix ullus corpori patientis detur situs, quin doleat, præcipue quando sternutando concussio totius corporis fiat. 4. Adest sæpe nausea, id est ventriculi subversio, eaque tanta in quibusdam, ut, quidquid ingesserunt cibi & potus, vomitu statim rejiciant, & hoc maxime sæpe cum levamine, quoniam fibræ ventriculi per consensum inflammati, & tunc ab ingestis plus extensi, sese restituunt, hinc putant sese melius habere ægri, ubi tamen illius tantum est remissio doloris, qui ab extenso ventriculo præsenti addebatur. Imo etiam si vacuus plane sit ventriculus, nihilominus sæpe ad nauseam & ad vomitum irritatur ob connexionem renum

cum

cum illo, mediante peritonæo, a quo membranam utrumque viscus participat, & binorum nervorum sextæ conjugationis, à ventriculo proveniendorum & internæ renum substantiæ implantatorum &c. 5. Testiculus lateris renis affecti versus superiora retrahitur. Cum calculus renes ejusque membranam distendens, facile efficere potest ut & vicinæ partes, quae ad testes tendunt, iisque inferuntur, spasmodice retrahantur. 6. Urina est varia, modo alba, modo rubra & cruenta; jam tenuis est instar aquæ puræ & limpidæ: jam crassa atque turbida; in quibusdam est arenosa aut lapillos in se continet: in quibusdam hisce caret, & grumulos interdum sanguinis secum fert; nunc copiosa est, nunc pauca, aliquando prorsus nulla. Urina alba & tenuis est in principio. Cum enim renes sunt obstructi, non nisi quod tenue est, atque aquosum transire potest; crassioribus remanentibus. Postea turbida fit; præcipue quando resolutio obstructionis, vel suppuratio facta fuerit in rene, ut pure referto urina prodeat. Rubra aliquando & cruenta, cum calculus asper vel acutus loco suo motus, interiorem renum substantiam sauciat, & vasa rumpit, ut sanguinem exsudent, qui postea cum urina mixtus ad vesicam amandatur, aliquando penitus supprimitur. Cum calculus, ex pelvi per ureteres in vesicam amandatur, aliquando penitus supprimitur, in vesicam descendens aliquando in transitu urethræ sistit & sibi ipsi viam præcludit. Arenosa est, si calculus sit resolutus vel in toto vel in parte: quod accidit, si friabilis existat; vel quando terrestris illa materia transit; antequam compacta fuerit.

§. 1404.

§. 1404. Calculo laborantes non nisi guttatim mingunt, sed si jaceant supini vel in dorso, tum pleno rivo urinam emittunt. Pruritus certissimum Lithotomis est signum, hi enim ægri membrum perpetuo fricant. Tenesmus est conamen mingendi & urinam deponendi, quod idcirco non accidit, & est quasi calculus magnus in intestino recto hærens sentiretur, vel quasi stercus durum ibi hæreret, ægri enim putant se mingere & se deponere alvum, quod tamen non fit, hoc certissimum est signum. Manus in anum adigitur (clysmate primo injecto, ut fæces deponantur) hoc vocatur Belgicè *sondeeren*, digitus oleo intinctus ano immittitur, tum intestinum rectum ad vesicam premitur, hac ratione calculus deprehenditur. Cathetere etiam invenitur, quod per urethram vesicæ immittitur, tum sentitur, an impingat in corpus durum, sed fallere potest; si calculus in vesicæ membranis vel in sacco seu vesicæ recessu hæreat accretus, sed tum aqua in vesicam injecta & corporis motu plerumque detegitur.

§. 1405. Si calculus renalis non resolvi possit in mobilem urinam, tum ille est expellendus, nam si maneat, fit major; si illud sit impossibile, tum cura est dirigenda, ne lædat partem, nec increscat.

§. 1406. 1. Imminutio structuræ cohærentis calculi vix fieri potest, hoc maxime inquisivi, in aliis corporibus hoc quidem fit, sed vix in calculis, ut notavi, si enim calculo nihil opponeretur & maneret sine augmento sponte destrueretur, nam actio sanguinis transeuntis & ictus arteriarum eam per-

perpetuo destruerent, optimum medicamentum est, ut æger bibat tota Æstate solum serum lactis; & assumat jus carnium & olera tenuissima, tum calculus non augetur; sed si omnia vulgata edant ægri, tum cito accrescit calculus; hinc nil salubrius est sero lactis recentis sine caseo; præsertim si vaccæ solo gramine & aqua fuerint pastæ. Mirum est, quod boves, si Hyeme fuerint in stabulis & tum mactentur, habeant hepar & vesiculam, fellis & ductus plenos calculis; sed in fine Augusti, postquam per Æstatem fuerunt in pascuis, si mactentur, non inveniuntur calculi, si non destruerentur, Calculi manerent, sed Æstate absunt.

§. 1407. 2. Antiphlogistica sunt optima, quæ diluendo & resolvendo diathesin sanguinis inflammatoriam tollere valent, v. g. radices Graminis, Petroselini, Bardanæ, Salsaparillæ, Scorzoneræ, Fœniculi, ligni Sassafras, herbæ Tussilaginis, Buglossæ, Taraxaci, Malvæ, Flores Althææ, Papaveris Rhæados minoris, Avena, Hordeum, Nitrum purificatum, Oxymel &c. serum lactis etiam optimum diluens & simul antiphlogisticum est. Emollientium nomen imprimis merentur radices Althææ, Liliorum Alborum, herbæ Bismalvæ, Verbasci, Violarum; flores Meliloti, Liliorum Alborum, Sambuci semina Lini, Fænugræci &c. quæ partim inservire possunt usui interno & simul præparandis fomentis, cataplasmatibus, balneis externis & interternis sive clysmatibus. Clysmata inter indicata emollientia primum locum tenent, ob duplicem indicationem tunc temporis satisfacere valentia; nimirum primo, ut alvus sit laxa, summo-

pere requiritur, & contrarium fere semper adest; durante enim circa lumborum regionem inflammatione, humidum in vicinis locis citiùs consumitur, hinc fæces alvinæ indurantur, transituro calculo impedimenti sunt, nec sine nixu exonerari possunt. Emollitis intestinorum contentis maxima copia clysmatis vasculis intestinorum absorbetur, & ad renes fertur, sicque illis humectandis & emolliendis non minorem utilitatem afferunt; observationes enim docent, quod si v. g. decem unciæ clysmatis injiciantur, vix quatuor per anum rejiciantur, sed reliquum cum urina reddatur. Si tantum pro balneo interno adhibeantur, decoctum ex quibusdam modo dictorum emollientium addito ejusdem notæ oleo v. g. oleo Lini, Liliorum Alborum, vel alterius emollientis cocti olei paratum sufficit; si autem alvus stimulo quodam sui officii simul admoneri debet, additur v. g. Sal Marinus, Nitrum, vel electuarium quoddam laxativum, v. g.

℞. Herb. Malvæ
—— Bismalvæ
—— Parietariæ
—— Mercurialis
—— Betonicæ ana M.
Flor. Meliloti.
Chamomel. ana M. ß
Sem. Fæniculi
—— Anisi ana ʒij

Coq. in f. q. aquæ puræ ad Col. ℥viij
addantur Caffi. recent. extract. ℥j
Ol. Amygd. r. extract. ℥j
F. Clyster.

Ut

Ut autem debitæ partes adhuc magis laxentur, insideat patiens nudo corpore usque supra umbilicum balneo ex similibus emollientibus parato; ante balnei applicationem regiones lumborum inungi possunt linimento emolliente v. g. Unguento Althææ simplici vel composito, Populei, oleo Chamomeli, Liliorum Alborum, Axungia porci, medulla cervina, vel similibus composito; ut una cum balnei vaporibus in vascula cutis venosa absorbentia penetrare melius possit. Si vero propter ægri debilitatem vel impatientiam, balneum adhibere non possimus, tunc in eundem finem parti illinitæ imponatur cataplasma, vel quod fere idem, fomentum ex similibus constans: Fomenta humida sunt optima ut ex aqua simplici vel lacte dulci spongia vel vesica bubula vel sacculis applicatis v. g.

℞. Fol. Malvæ
—— Hederæ Terrest. ana M. ij.
Flor. Chæmæm. vulgar.
—— Verbasci ana p. iij
sem. Linicerent. ℥ij
Coq. in s. q. seri lactis dulcis,

& fiant inde duo sacculi, qui parum expressi calide lumbis ac partibus dolentibus applicantur. Patiens hacce methodo rite tractatus non solum omnium citissime symptomatibus liberatur, sed etiam calculus non raro locum ægro minus incommodum occupat. Opium est optimum, quod tollendo crispationes fibrarum ureteris muscularium hunc canalem laxat, & sic dolores non solum mitigat, sed ne-

necessario simul calculum prudenter pellit scilicet auferendo obstaculum quo retinetur.

§. 1408. 3. Si mutando priorem locum incidat in pelvim & propter magnitudinem vel quia ureter nondum satis laxus redditus est, descendere nesciat, nova symptomata producit v. g. frequentes vomitiones scilicet propter irritatos nervos affinitatem cum ventriculi nervis jungentes inflammationem ureteris; in hoc casu omni ratione eadem indigitantur scilicet antiphlogistica, diluentia, emollientia; ergo venæ sectio si aliæ circumstantiæ id permittunt, primo instituatur; quoties vomit æger, toties ipsi detur aqua, in qua mel solutum est; vomitu desinente sumat aliquot cochlearia de sequenti mixtura.

℞. Aq. Menthæ
—— Petroselini ana ℥ij
—— Prophylact. ℥j
Laudani puri gr. 1.
Syr. Pap. albi ℥ij
M.

Laxatis ureteribus optime etiam facilitatur & propulsio inhærentiæ calculi simili prudentia promovetur; æger quotidie bibat decoctum Parietariæ, Malvæ vel similibus emollientibus cum oleo Amygdalarum dulcium recenter expresso, vel aquam simplicem cum dicto oleo; aqua enim innocentissimum medicamentum est, nihil facit quam leviter propellere & oleum optime laxat & delinit; post potum deambulando æger corpus moderate moveat. Porro jura carnium pinguiora cum radicibus Scorzoneræ, Petroselini, Dauci, &c. vel

herbis Lactucæ, Tragopogonis, Acetosæ &c. cocta & sale moderato condita largiter assumpta pro nutrimento & emolliente inservire possunt; urinam parum urgent & paucissimæ fœces alvinæ inde generantur: Laxatis & præparatis omni molimine viis, felici exitu nihilominus non subsequente, minore tunc periculo adhiberi possunt medicamenta diuresin plus moventia v. g. emulsio ex seminibus Violarum purpurearum, Papaveris albi, Milii Solis, Petroselini, secundum artem aqua Petrosilini elicita, & cui syrupus quinque radicum aperientium, oleum Juniperi &c. admista sunt; æger etiam eundo cubitum dosin hujus emulsionis cum satis magna copia Opii purissimi capere potest, unde sæpe bonum successum vidi, nam sopitis Opio corrugationibus fibrarum spasmodicis, diuretica movendo urinam, calculum faciliore negotio simul dimovere valent.

§. 1409. Vidi medicamenta resolventia fere omnes calculos dissolventia, non vero humanos sale eorum & oleo expulso, hinc Lithontripticum esse debet, quod calculo inhaerens specificum sal volatile impingens educit; hinc calculus non est conterendus, sed educendus, id est, sal compingens educendus quasi magnetica vi, sed id non possumus, non est de natura oculorum Cancrorum, qui aceto solvuntur, nec Marmoris per aquam fortem, in hac vero vix & sensim solvitur calculus humanus; multa talia sunt commendata, sic *Helmontius* urinam Tauri junioris, simulac ex matre exit excisam, collectam laudat, idem Hirco adhuc pulchrius succedit, ut illi agunt, sic alii alia jactant, sed non profuerunt, medicus Ita-

Jus mihi amicissimus dicebat se habere medicamentum calculum frangens, obtuli ei ægrum calculo liberatum iterum laborantem, datum est ejus medicamentum, sed nil juvit, ideoque nondum repertum est remedium calculum destruens, ut credo, sicut à certo vitæ genere fit calculus, ita à contrario resolvitur, sed id non observamus, quia pluribus occupamur, deberet esse, ut in Ægypto, ubi quibusvis morbis singulares sunt medici, illi possent per totum vitæ tempus observare, quæ faciunt calculum. *Paracelsus* & *Helmontius* dicunt se per ludum humanum Alcahest calculum tollere posse, sed puto hoc minime verum esse & sic de cæteris; certus tamen sum, si æger bibat serum lactis, & per aliquod tempus edat juscula tenuia, inde accipere Diarrhæam, & si in hac diæta permaneat, cum illa continua Diarrhæa calculo non laborare.

§. 1410. At iter quod facere debet valde periculosum est, non solum quia ureter in diversis locis diversas angustias habet, sed etiam quia iis superatis, necessario per vesicam ipsi transeundem est; hinc æger sæpe incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdim: ergo probe observandum si calculus ope remediorum & naturæ se movebit, an iter feliciter successit: quod se moverit, æger ex dolore scindenti & versus inferiora descendenti aliquando satis clare animadvertit, & ex absentia priorum symptomatum; bonus successus cognoscitur ex dolore urethræ inter mingendum, præsentia calculi in urina reddita & si non nova symptomata sequuntur. Illum novam

vam ſtationem in veſica occupaſſe non ſatis facile ſcitu eſt; nam licet omnia ſymptomata disparuerint ſine apparentia ejecti calculi, tamen inde non concludere poſſumus calculum in veſica habitare; parvus enim lapillus cauſa eſſe potuit, imprimis in ægris, qui nunquam antea ſimili malo obnoxii fuerunt; hinc propter exilitatem ægro non ſentiente, ex veſica excretus eſſe poteſt; nec ejectus calculus veſicam liberam pronunciare valet, nam plures ſimul deſcendere pluries accidit, ergo calculus veſicæ novum hoſpitium nova ſymptomata producendo ipſe manifeſtare debet; at ratione hæſionis, molis atque ſuperficiei & figuræ, ſenſibiliora & frequentiora mala excitare poteſt. Si primo momento, quo in veſicam devenit, irretitur lacunoſa ſtructura membranæ intimæ, ſatis longe fere incognitus ibi hoſpitare poteſt, donec rupto retinaculo, plenam libertatem nactus, in cavo veſicæ mobilis ſequentem tragædiam ludere incipit; nimirum veſicam perpetuo ſtimulando & ſic membranam glanduloſam ſuo lenimine oleoſo orbando, hinc urinæ acrimoniam ſenſibiliorem reddendo, magnos dolores excitat & inſuperabile mejendi deſiderium omni momento miſero homini incutit; quoties æger veſicam exonerare conatur, toties verſus inteſtinum rectum calculus una cum veſica preſſus, Teneſmum affert; aliquando collum veſicæ obturando urinam intercipit & ſic Dyſuriam cum magno dolore vel ipſam Iſchuriam parit, immaturam titillationem circa perinæum; pubem &c. inſtituendo ſpiritus mediantibus nervis in muſculos penis erectores allectat, qui in cauſam ſtimuli non inquirentes,

tes, tumefactis musculis venam comprimunt, sanguinem per arterias allatum redire impediunt, & sic invitam penis erectionem efficit.

§. 1411. Si calculus transierit in vesicam, quod æger ex remissione doloris animadvertit, quam ocyus est educendus, si possibile sit, sed tum quo melius solvatur, si adhæreat, primo ambulet, si vires ferant, equo vel curru vehatur, præterea liberaliter indulgere potui, quam maxime potest.

§. 1412. Expulsio facilitatur ope remediorum, quæ calculi exitum facilitant, laxando & emolliendo vesicam & urethram, de remediis, quibus hæc efficere possumus jam satis egimus scilicet balneis sive fomentis & linimentis in hoc casu, in partes emolliendas quantum possibile dirigendis: clysmata, balneo interno, & alvo laxæ servandæ inservientia, sunt continuanda; oleum Amygdalarum vel Lini, per urethram syringa in vesicam injectum dolore à calculo irritante delinit, crispationes muscularis membranæ tollit, acrimoniam urinæ inhibet & simul urethram laxat deinde bibendo decocta leniter pellentia v. g. radicum Petroselini, Graminis, herbæ Matricariæ, Veronicæ, seminum Dauci; Urticæ, Petroselini, Cicerum rubrorum &c. per motum moderatum. Æger non utatur cibis fæces generantibus, sed modo decoctis cum aqua Oryzæ, Hordei &c. tempore Maji & Junii serum lactis; verum medici hic plerumque putant se satisfecisse, si modo dolorem sustulerint, sed male, nam dolor tum conatum exeundi facit; hinc hoc sublato malum non curatur, si vero omnia sic laxa reddita sint, &

& æger tamen calculum expellere non possit, tum sæpe dedi grana duo aut tria Opii; tum per tres horas dormiebant ægri & evigilantes sine dolore deponebant calculum, hinc dari potest syrupus Papaveris, Rhœados, syrupus capitum Papaverum, syrupus Diacodii, tinctura Laudani Opiati &c. hæcque huc laxando agunt.

§. 1413. De his actum est suis locis.

§. 1414. Si calculus superato sphinctere in urethra hæreat & propter hujus canalis inæqualem amplitudinem transire nesciat; totus penis, scrotum, & perinæum foveri debent mucilagine seminis Fænugræci, Lini, Psylli, radicum Althææ &c. oleo Amygdalarum dulcium vel Lini vi quadam ope syringæ contra calculum injicere & digitis inter collum vesicæ & calculum positis, eum sensim protrudere, multum prodest; vel utatur instrumento Chirurgico instar auriscalpi parvo cochleari prædito, oleo illinito & prudenter immisso, ita ut calculus prehensus leniter extrorsum traheretur. In Ægypto, narrante *Prospero Alpino*, Ægyptii utuntur parva cannula, primo tenui & sensim crassiore, qua insufflando urethram valde extendere possint, ut calculus semi articuli magnitudinem habens transire possit, urethra satis extensa reddita, applicato ore fortiter sugunt & hac ratione illum non raro attrahunt: verum omnis cautela adhiberi debet, ne flatus in vesicam penetraret, nimirum digitis inter collum vesicæ & calculum positis urethram comprimendo. Si bonus eventus non satis cito institutæ curæ respondeat, calculo in urethra immobili manente; incisio lateralis super calculum facienda est; quod sine magno periculo

riculo fieri poteſt. Antequam ſectio fiat, locus ſecandus trahendo integumenta penis verſus glandem, tenſus reddi & vinculo ſive digitis ita retineri debet, tunc enim facto foramine & extracto calculo labia vulneris, laxatis iterum integumentis, melius coeunt; candela ceracea intromittitur in urethram, ut vulnus extrinſecus concreſcat: Si hæc operatio nimis diu differatur, calculus in urethra hærens, comprimendo vaſa ſanguinis motum ſupprimit, inflammationem producit, & ſi hoc durat tandem Gangrænam.

§. 1415. At calculus veſicæ major, quam ut per hujus collum eliminari poſſit, omnia medicamenta hucusque nota *Paracelſi* & *Helmontii* ludo non excepto, eludit & fere inutilia reddit poſt breves inducias nova mala iterum incipiendo: ergo in tali caſu nil ſupereſt quam ægro omni perſuaſione Lithotomiam commendare. Lithotomia ſeu calculi ſectio fit apparatu parvo vel magno; in parvo ſupinus ponitur æger, immiſſis ano duobus digitis oleo vel butyro inſulſo inunctis, vel cathetere cum ſulco oleo illinito in urethram immiſſo, qui in veſicam invertatur ad calculum quærendum; tum catheter ponitur infra veſicæ collum in urethra, & ſupra crenam catheteris prope tuber oſſis iſchii, ſecundum *Ravii* methodum Operatores ſcindunt, & tum per conductores introducuntur, tuncque catheter extrahatur, & intra horum binorum conductorum crenam forcipem ſeu tenaculum indunt, ſi tunc forcipem in veſica habeant, tum illam ponunt ſupra calculum, nam aliter facile caperent lamellas veſicæ, eamque protraherent, ſed hæc ſic evitant, & modo ac-

accipiunt calculum & dilatando vesicæ os seu sphincterem eum extrahunt, sed si nimis magnus sit calculus, tum sphincter nimium dilatatus rumpitur & sic fit urinæ incontinentia perpetua, quod magnum incommodum.

§. 1416. *Frater Jacobus* tertiam methodum invenit, sed ille erat homo robustissimus scientiæ Anatomicæ rudis; hinc non bene rem peregit, sed hunc modum omnibus suspectum fecit, adeo ut jam in Gallia ille modus esset interdictus ut & in Hollandia, sed *Clarissimus Ravius* hanc rem perfecit, ille enim hac methodo multa centena hominum curavit; nimirum ægro ita constituto seu ligato, ut manus & calcanea prope clunes existerent, immittebat catheterem argenteum, incurvatum oleo illinitum & crena in inferiore parte præditum per urethram in vesicam; quo eum dirigendo, juxta perinæum in latere sinistro faciebat tumorem catheterem notantem, incidebat tunc super catheterem, ita ut apex cultri in crenam catheteris supra sphincterem vesicæ existentem vergeret, eo pervento & apertura satis ampla supra sphincterem facta, per aperturam intromittebat gladiolum argenteum in infima parte crenam habentem, recto itinere in catheteris crenam tendendo, inventa crena, extrahebat catheterem, & immittebat juxta immissum gladiolum adhuc unum gladiolum circa apicem quasi gibbo præditum eo modo ut prioris crena hujus gibbum exciperet, gladiolis in inferiore parte ita junctis; inter hos secure forcipem obtusis apicibus, quorum interior superficies sulcata erat, præditum intromittebat, tunc extractis gladiolis calculum forcipe prehensum extrahebat, bene tamen

attendendo v. g. si calculus ovalis vel oblongus erat, ac ita inter apices forcipis ponebat, ut nimirum diametrum apices à se distendendo faceret; extracto calculo & explorata adhuc semel cathere, per urethram immissa, vesica, anne forte plures calculi adessent; facto vulneri tantum imponebat quadruplicatum linteamen, quod mediante ligatura retinebat: hoc modo vulnus intra duos tresve dies sanabatur, & ægri postea nunquam incontinentia urinæ laborarunt. Eodem cum successu etiam multas mulieres secavit, quæ ante *Clarissimam Ravium* ut plurimum, dum ope conductoris & dilatatoris sine sectione à calculo majoris liberabantur, postea spinctere vesicæ læso involuntario urinæ stillicidio tota vita obnoxiæ fuerunt; in idem malum facile incidunt ægri, quando sectio, licet magno apparatu fiat, in spincterem dirigitur.

§. 1417. Verum quædam circumstantiæ sine culpa Lithotomi methodum Ravianam infelicem reddere possunt v. g. calculus in fine ureteris inter tunicas vesicæ decurrentis hærens, dum Lithotomus cathetere in vesicam immisso vel digito oleo illinito per anum intruso explorat, calculum vesicæ æmulatur; sed facta sectione eum in vesica non invenit si nunc ulterius explorando tandem calculum invenit si & extrahere conatur, æger sæpe intra quintum diem convulsivus moritur; aliquando tunicæ vesicæ tam firmiter adhæret; ut sine dilaceratione vesicæ extrahi non possit; vel in sacculo quasi extra vesicam posito hæret, ut facta apertura non inveniri possit, sic etiam magna Hæmorrhagia ob arterias, in quibusdam hominibus aliter decurrentes abscissas orta, operationem

tionem infelicem facit, vel saltem sanationem vulneris retardat: si enim per vulnus in vesica factum sanguis influxerit, vulnus tamdiu apertum teneri debet, ut natura expulsionem hujus moliendo hac via uti possit, nam vulnere nimis cito sanato, sanguis in vesica grumescens sibi ipsi transitum per collum vesicæ occludit & putrefactus pessima mala producit, memoratos autem casus raro accidere tot Raviana experimenta magna cum felicitate capta confirmant; ergo qui hac methodo bene instructi & feliciter eam exercuerunt ad hanc operationem inprimis eligendi sunt. Præterea notandum est, quod quo calculus minor & apertura prima sectione satis magna reddatur, ut non opus sit eum frangere vel vi extrahendo partes dilacerare; nec ulteriorem sectionem facere; cæteris paribus, eo majori cum celeritate & minori periculo operatio succedat; denique sæpe quoque intestinum rectum & vesiculas seminales persecare potest Lithotomus.

§. 1418. Lithotomus tum immittit per vaginam in vesicam dilatatorem, & calculum arripiens dilatando educit, sed si calculus sit paulo major, tum spincter vesicæ rumpitur, & æger urinæ incontinentia laborat, sic fuerunt nonnulli, qui methodum prius enarratam in viris & fœminis quoque tentarunt, & ipse *Ravius* ter sic fœminas à calculo liberavit.



Lues Venerea.

§. 1419. Nulla apud Veteres de hoc morbo nec quoque de Rachitide mentio facta est. Non memini Luem Veneream ante annum 1463. cognitam fuisse, sed Galli obsidentes Campaniam seu Neapolim, in qua urbe multæ erant meretrices, quæ ab obsessis expellebantur, has receperunt in suis castris, quia nullas secum habebant fæminas, hinc gratæ fuerunt Gallis, sed ex his totus exercitus hac Lue fuit infectus, sic ut proprie dicendo Lues Americana sit, sed Americani ab Africanis seu Ancholensibus accepisse dicuntur, quod & credibile mihi videtur, cum per amicos, quos ibi habeo, accepi, quod ibi sit consuetudo, ut emant fæminam, quam reconditam cogunt omnibus subesse, unde hæc mulier raro ultra octo dies vivit, hæc enim mulier adeo inflammatur, ut sponte Luem accipiat, quod prima morbi origo esse videtur, ergo hic morbus ex America per Hispanos cum divitiis fuit delatus, qui postea per totam Europam fuit dispersus, sed in initio fuit longe sævior, nam in initio non aderat Gonorrhæa, sed cum pustulis variolosis per totum corpus oriebatur, quem morbum modo bis vidi, licet tamen multos ægros hoc morbo exstinctos viderim, jam vero Gonorrhæa semper initium tragediæ ludit.

§. 1420. Miserrima generatur proles à parentibus Lue Venerea laborantibus, hinc dolen-

lendum prorsus, quod tot viri in his ita peccent, nam ut plurimum ita cum labe seminali instillatur.

Lactatione. Vidi mulierem pulcherrimam, quæ pro suo filio elegit nutricem, quæ hac lue infecta puerum ita infecit, ut ad ossa usque fuerit tabefactus, & sic miserrime mortuus, quia nimis sero morbus in illo fuit detectus, tali modo accidit, ut puer, qui ex generali labe parentum infectus erat etiam nutricem, quam lactabat, infecerit.

Contrectatione Qui multum conversantur cum infectis & contrectant, facile afficiuntur; sic infans infectus mammas contrectans nutricem infecit.

Saliva. Nil pejus quam quod malum per salivam communicetur, hoc parit maxima mala & pessima circa nares & fauces, venenum Venereum tunc citius subit massam sanguineam, eamque inficit. Salivam inficere quidam imprudentissime negaverunt, dixere aliqui sola generatione propagari malum, sed pessime se fefellerunt; notatur in Opere Venetiis edito 2. vol. in fol. de lue Gallica scriptoribus observatum, pulcherrimos juvenes cum meretricibus consuescentes maxime esse affectos præ aliis ex sola saliva & spuma faciem inficiente.

Sudore. Si quis cum infecta adhuc sudore calente simul jacuerit, inficitur sine coitu.

Liquido. Per illud intelligo humorem illum fœdum ex vagina ulcerata gangrænosa profluentem, unde vir inficitur, licet sit admodum pauca copia; verum citius vir à fæmina inficitur, quia vulva est adeo magna.

Exhalatione contagiosa propagari dico, licet multi repugnent, nam certum habeo quod *Venetiis* omnes

omnes bis in anno impenſis publicis pro Deo curantur; & dixerunt fide digniſſimi Chirurgorum famuli, qui curatione inſerviebant, incidiſſe ſe in peſſimos morbos pulmonis & ulceroſos à ſola exhalatione, cum diu inſerviiſſent: ipſe curavi nobilem virum, ſed vix potui cum eo vehi in carpento clauſo, nam fœtor erat maximus & adeo contagioſus, ut niſi deductis vitris proflueretur aër, certe crederem me infectum fore; hinc ſive per ſudationem ſive per ſalivationem tales curentur, non nimis prope accedant medici.

§. 1421. Ille morbus, ubi primo ſuſceptus eſt, ibi & primo ſe manifeſtat, hinc falſiſſimum eſt, quod ſe ſemper per Gonorrhæam manifeſtat, ſed hoc modo eſt mitior ſpecies, & facile curari poteſt, hinc non credendum eſt, quod ſi quis eſt ſine labe ad genitalia, inde tamen liber eſt, nam quod ad membranam faucium & ad nares ſe primo manifeſtat, hoc longe pejus eſt; habui occaſionem omnes partes corporis examinandi. Vidi nutricem probam à vicinæ mulieris infante lactante infecto infectam, unde tota mamma peſſimis ulceribus fuit referta, illa neſcia Chirurgum advocavit, qui curaturus ulcus retropellebat; hinc totum corpus inficiebatur; medici advocati videbant ulcera, per totum corpus diſperſa, ſed re examinata viſum eſt infantem fuiſſe infectum; ſic in aliis vidi in ſolo extremo corpore Luem conceptam, qui a ſodalibus, cum quibus cubabant, erant infecti. Infectis mulieribus & meretricibus tota vagina eſt ulceroſa, unde virus effluit, ab ipſis dictum Fluxus Albus cum his concumbentes viri in pene accipiunt primum contagium; curavi quoſdam in ſolis faucibus ulceratos.

ratos, alios in solo pene & vicinis, alios non ibi; sed ad totum corpus, vidi sic à marito matronam infectam, licet nunquam cum ipso coiret, hinc negligendum est malum, licet non antecesserit Gonorrhæa vel oris ulcus, sed ubi primum attingit malum, ibi primum manifestatur.

§. 1422. Quidam auctor dicit illum morbum oriri posse ex nimia Venere, vel & casu quodam vel nimis violenta partium distractione; sed non puto hoc verum esse, nam in Græcia multi eandem habuerunt amasiam & coluerunt, sed tamen non ita luem contraxerunt; in calida regione sic contrahi puto, sed minime in hac regione; nam si hoc fieri posset, tum quidem olim in luxuriosissimis Romæ & Athenarum temporibus hoc factum fuisset; nempe tempore *Tiberii* & *Neronis* plura erant lupanaria & Messalina famosissima meretrix; nil vero de hoc morbo Antiquis notum fuit, apud *Hippocratem* quædam describitur Gonorrhæa, sic in *Sacris* legitur nempe in *Deuteronomio* legimus, quod vir habens seminis fluxum seorsum habitare debebat; sed nunquam hoc vel simili morbo laborasse legitur, hinc hic morbus medicis non fuit cognitus nec ejus cura, ergo hoc malum non nisi ab infectis non tam à solo concubitu sed omnibus dictis modis propagatur; non majus est miraculum per virus vaginæ quam sudorem ægros infici; quia toti humores ægri hoc morbo laborantis sunt infecti. Hic morbus ex Asia vel America est propagatus ab iis, qui humanis vescuntur carnibus, id enim in *Opere Veneto*, & alibi observant omnes medici; hi morbi nullibi frequentiores sunt quam apud Antropophagos.

§. 1423.

§. 1423. *Squammosa* hac vero ablata ab hac pustula superficiaria, tum fundus est cineritii coloris, & semper inæqualis fungosus.

Mucosa. Nam profluit mucus pinguis subflavescens subviridescens, tum hoc insanabile est vulgaribus remediis, hæc fiunt ad nares, fauces & præputium externum & internum ad urethram externam & internam, & tum est Gonorrhæa.

Vulgatis. Ne Lapis quidem Infernalis hoc eradicare potest.

§. 1424. Apud primos medicos, qui de hac Lue scripserunt imprimis Galenicos, quæsitum est de parte hepatis, quidam pulmonem accusant, omnes errant, sed noster humor a tali ulcere affectus inficit reliqua viscera, hinc hepar non plus laborat, quam alia pars corporis. In omni loco ubi infectio fit, ibi hæ pustulæ & hi cancri apparent, & usque ad periosteum rodunt, liquor, qui in hoc casu profluit, non est pus, sed si linteis recipiatur, fit durus instar ligni, color est subviridescens &c.

Palatum. Maxime in osculis spongiosis & locis mucosis hæret, væ enim si ibi pustula oriatur, tum hæc tandem cadunt, nec prohiberi potest.

§. 1425. Pariter qui quater vel quinquies viderunt, facile visu dignoscunt, noscitur pure singulari, quod non album, non æquale, non inodorum, non coctum sed sanies, tum crassior ichore, colore subrubello & fætens simul, non tum ichor penetrans, sed quasi mucus narium cum pauxillo sanguinis tenuis, non refert, ubi hæreat malum, ubique saniem mucosam subviridem, rubellam fœtidamque stillat, erodit in ulce-

ulcera lata vix profunda, nisi in morbis ossium; vidi ulcera tres palmos lata, tantùm cutim & panniculum adiposum erodentia, nisi ex ossibus orta. Non vidi ulcera venerea, quæ profundiora fuerunt; quam in membrana adiposa, dein & in vaginis oleosis tendinum, musculorum & membranis periostei, quatenus pinguedinem habet & medullam; hinc videmus morbum non hærere in sanguine seu sero, sed se insinuare in humores lentos pinguedinosos eorumque loculos; raro vero lues nobis occurrit, quæ *Carpi* descriptioni conveniat, nam modo bis seu ter vidi, ibi omnia sic depascebantur, ut manus inter membranam externam & musculos poni potuisset.

§. 1426. Cutis circa penem est omnium mobilissima, quæ in incredibilem molem extendi potest; hinc membrana, quæ ei subjacet est explicabilis, nam hæc membrana est valde porosa; hinc si in tali impuro coitu sit extensa, tum pori tanto magis sunt bibuli, quanto major est superficies, & præterea penis tum maxime inflammatus & calidus est, unde contagium se facile insinuat per apertos Ruyschianæ membranæ poros, hinc oritur ulcus, quod cancer dicitur Belgice *de Schanker*, ex quo ulcere perfecte materia stillat ac in Genorrhæa; si tale ulcus oriatur in urethra, tum eadem fluit materia, & dicitur *Gonorrhæa Virulenta*. Vidi quod si contagiosa Lues Gallica se insinuet cum semine restitante urethræ faciat Phlegmonem, ut cancrum externum descripsimus, hinc spongiosa penis substantia erosa talem humorem stillat, unde Gonorrhæa oritur, quæ dicitur Virulenta, non illa veteribus descripta sub nomine seminis effluxio,

fluxio, sed tale ulcusculum internum in spongioso penis corpore detecto per *Ruyschium* & falso dicitur pus exiens. In muliere vero sedem habet in illo loco, ubi mucosi folliculi, qui circa urethram habentur, qui post urinæ secretionem exstillant & exprimunt succum, ne partes ibi ab urinæ acredine lædantur, nunquam vero in utero fit, hinc facile concipi potest, quare fætum gerere possint illæ mulieres; & non inficere illum, imo masculinum semen nunquam inficitur ab interna penis & vulvæ superficie.

§. 1427. Si lympha glandulis inguinalibus communicetur, tum fit Bubo Venereus id est tumor durus, lentus, sensim dolens, similis buboni pestilentiali cognitus veteribus, quomodo hic oriatur, non ita patet, sed docet *Nuckius* lympham ab inferioribus per inguina redire & *Cowperus* demonstravit lympham à præputio in lymphatica inguinalia deponi, hinc venenum minimis vasculis absorptum fertur ad inguina: si præputium retroductum sit, tum dicitur Paraphymosis, si membrana Ruyschiana sit infecta, tum penis recurvatus habetur, & hoc certum est signum, si substantia sit inflammata, tum malum in ipso penis corpore hæret, & hi morbi à se invicem plane sunt diversi & distincti.

§. 1428. Si hoc malum in cellulis hæreat tum citissime abit in gangrænam, quia hæ cellulæ sunt admodum teneræ & facile rumpuntur; penis ita intumescit *docentibus Ruyschio & Cowpero*, ut in statu naturali nempe in priapismo, inde oritur gangræna, quia arteriæ sanguinem impellunt, qui per venas compressas non repellitur.

§. 1429. Nemo bene de hoc morbo scripsit, & ejus causam bene exposuit. Si Gonorrhæa valde profunde sita sit, circa initium urethræ, ubi vesiculæ seminales semen effundere solent, & ibi fiat inflammatio, tum hæc vascula à tumore comprimuntur, & semen ad has vesiculas deduci non potest, hinc testes tument, si hunc tumorem medicus solvere non possit, tum testes suppurati gangrænescunt, quæ omnia symptomata venæ sectione præcaventur.

§. 1430. Si tabes venerea affricatur corpori alterius, etiam hoc corpus inficiet, & hoc iterum alias potest inficere; hinc quo plus hoc corpus jam infectum est, quod alia inficit, eo pejus est malum, & dein omnia mala erunt retro & introrsum, nam ab initio tantummodo glans inficitur, tandem à mala cura abit ad vesiculas seminales ad porosas prostratas, & sic porro & tum curari nequit, ergo tandem proserpit versus vesicam &c. In mulieribus vero malum non tam cito proserpit, & viri infecti si non curentur, cito moriuntur, sed mulieres tamen adhuc vivere possunt per multos annos ob rationem dictam.

§. 1431. Hi ægri sentiunt, his malis prægressis vel non, membra gravida, torpida, dolores ad crassissima ossa, non ad juncturas, in omnibus fere costis & ossibus semper in medio; noscitur esse talis dolor, si vesperi increscat, si nocte sit acerrimus, & mane abeat, si ægri caleant in lecto, & pessime doleant, aurora increscente abeat, tuncque dormiant, hoc malum cognoscitur, quia dolores sunt profundissimi & obtusi, medicis dicti Tortura Noctis.

§. 1432.

§. 1432. Hæc membrana hic tantum cohæret, qua erosa cadunt cartilagines, quod est terribile symptoma; hinc si hoc malum sic ossa occupet, tum omnia penitus cancrescunt.

§. 1433. Ex *Haversio* constat ossa constare ex fibris longitudinalibus tensis & tensissimo periosteo interno & externo, tum, si os à carie elevari incipiat, tum una lamella ab alia secedit, & tum periosteum, quod est membrana omnium sensilissima, quæ tenditur adeo ut tandem rumpatur, unde ægri horrendos patiuntur dolores, ut nil nisi mortem exspectantes petant, ut modo interficiantur, malum vero hæret ad crassissimas ossium partes, si frigus accedat ad partem affectam, tum dolores augentur, quia partes jam tensæ frigore admodum contrahuntur & ossa cedere nequeunt; hoc vidimus, si homo a carnifice torqueatur, tum partes admodum teruntur & hoc ferre non possunt, sed si tum aër frigidus admittatur, seu aqua frigida aspergatur, tum oriuntur dolores atrocissimi & intolerabiles sic & hic. Morbus cognoscitur esse præsens primo, si consuetudo cum infecta prægressa sit, secundo si accedant circa loca contactus signa inflammationis & tertio si symptomata dicto ordine oriantur.

§. 1434. Si ægri non sanentur, fiunt tubera omni nocte dolentia, tum fit pustula nulli medicamento obediens, quæ sensim fit major, tandem os apparet cariosum; nec curatur, nisi corruptum à sano abscesserit.

§. 1435. Partes mediæ ossium afficiuntur tubere, quod si adhuc molle sit, vocatur Tophus, estque ut prima tubera cornu in vitulis, si durius fiat, Nodus vocatnr, si efferatur in

in tumorem : os ipsum vocatur exostosis, tum os cariosum est, hi tres affectus ossa attollunt, & dolore maximo tandem rumpuntur, unde sanies exstillat.

§. 1436. Signa sunt, generatio a parentibus infectis, commercium cum mulieribus infectis & prostilubis.

§. 1437. Hi qui Gonorrhæam accipiunt, facile curantur, sed qui primo ulcera accipiunt, infelices sunt, hic vero tantummodo requiritur, loca affecta humectentur & laxentur, quod fit balneis, fotu &c. nempe aqua cum vino calida, & ut materia deorsum determinetur, quod fit per medicamenta diuretica & purgantia optima, quo vero plus materiei tum exit ex pene eo melius, si modo in usu horum sensim diminuatur, nam non, ilico hoc fieri debet, hic vero pro purganti dari potest in corporibus laxis Rhabarbarum, in biliosis Tamarindas & Sennam, in pinguedinosis Jalappam, in hominibus frigidis purgantia alcalica, in calidis acida. Primo infectionis die aqua cum pauxillo Salis Marini per fistulam injecta, est summum remedium. Emulsiones quoque fieri possunt ex quatuor seminibus frigidis majoribus & minoribus Hordeo, Avena.

Balsamicis. Hic caute est agendum, nam hæc omnia aliter nocent, hinc danda sunt pauca in copia, & permiscenda sunt talia, quæ balsamicam calidam vim destruunt, aliter omnia alcalia urinam urgent, & hoc faciendo inflammationem & tumorem augere possunt.

Lauto. Nam si oriatur Priapismus, tum fibrillæ iterum se unire incipientes iterum solvuntur, indeque penis erigitur, & tumet; quo

vero

vero superficies penis major, eo inflammatio majus ulcus producit, hinc hæc omnia vitanda & consortium mulierum repudiandum; lectio ciborum in libidinem excitandorum interdicenda, & quoque aspectus talium tabularum vitandus. Utatur æger decocto Glycyrrhizæ cum Hordeo vel sero lactis pro potu; pro cibo fructubus horeis, omnibus oleribus antiphlogisticis, Endivia, Acetosa, Lactuca &c. Nonnulli vero sunt, qui dicunt Gonorrhæam esse expurgationem materiæ peccantis per hunc locum, sed si hoc verum esset, tum Gonorrhæa non inficeret alios, & sic homines ab hoc morbo liberari deberent, sed si relinquantur, in pejus morbus ruit, hoc vero non dicam de exemplis horum, qui hic male ægros in hoc statu tractarunt, puto quoque, quod à bono medico & quidem candido hæc cura per externa non possit tractari & tentari, nec etiam concedi alimenta lauta, lardum salitum, aliaque, nam tum fere semper redit & repullulat; hinc videtis hic summam prudentiam esse adhibendam, nam licet medicus omnia sua, ut docet, bene agit, tamen ægro in sex rebus non naturalibus peccante hoc omne medico tribuitur, sic videtis magnam sibi suscipere provinciam, qui hanc curam suscepit; sed hi, qui jam Gonorrhæam accipiunt, facile curantur, si vero inveterata sit difficile; mirum vero est, quod Gonorrhæa per salivationem tolli non possit, & ne quidem huic auscultet, nam vidi ulcera per totum corpus & penem per salivationem sanata, sed Gonorrhæam remansisse; hinc videtur patere, quod sit benignitas naturæ in omni Gonorrhæa, sed latens, & quod natura quodammodo conetur se per hanc viam expurgare.

§. 1438.

§. 1438. In curatione est persistendum, donec materia viridis ex pene nil amplius exstillet, nec in urina simile appareat, nec ullus dolor amplius adsit.

§. 1439. Nam membro inflammato seu inflata urethra cum ipsis vasis comprimitur glans, vel ab urethra vasa accipit, & hinc circulatio in glande sistitur, hinc gangræna, & tum æger brevi hac parte spoliatur; In Gallia tum sumunt cataplasmata balsamica, sed nil his efficiunt, & potius malum augent, sed hic electissima cataplasmata sunt opponenda, quæ putredinem arcent & virus pellunt, & non tamen iterum inflammationem faciunt, venæ sectionem hic sæpe instituî ad animi deliquium usque, donec detumescat penis. Fomentum applicatur putredini resistens ex Scordio, Ruta, Absynthio, Marrubio albo recenti cum vino, sale & Aceto, Camphora vel Theriaca; ultimo si penis non detumescat, tum vena dorsalis penis leviter est incidenda à prudenti Chirurgo; sæpe etiam malum hæret in ipsa substantia corporum fungosorum, quod patet, si penis extensus deorsim incurvatus sit; hoc pessimum est, & nisi ilico venæ sectio larga instituatur, tum pars nervosa affecta consumitur.

§. 1440. Primo fiat venæ sectio, dein purgatio ut in Gonorrhæa, abstineant ægri ab irritantibus & stimulantibus, tunc applicandum Emplastrum discutiens, optimum est Vigonis de Ranis cum Mercurio triplicato vel quadruplicato optime cum Sulphure & Camphora &c. si hæc non juvent, tum bubo est suppurandus ex Galbano cum vitello ovi soluto & melle, hinc si suppuratio inhiberi nequeat, tum non aperiatur; antequam pus bene sit factum, sed

ſcio quidem multos eſſe, qui hoc nolunt dicentes, ſi pus relinquatur, tum per venas abſorbetur, & per totum corpus ſerpit, ſed hoc nego, & hinc relinquo, usque dum omnia bene mollia facta ſunt, nam ſi ante tempus aperiatur, tum glandulæ infectæ & nondum ſatis ſuppuratæ, ſi aër illis alluat, ſtatim ſcirrheſcunt, qui ſcirrhi per totam vitam manent, neque etiam omne pus ſimul & una vice detergendum eſt ſed ſenſim.

§. 1441. Teſtis inflammatus eſt reſolvendus, aliter miſera fit ſuppuratio, ſi ſcirrheſcat, fit durus ut lapis, aut inſtar ovi Columbini magnus, tum ingens metus cancri adeſt, hinc malum eſt curandum, antequam eo usque progrediatur, venæ ſectio prodeſt, licet multi obloquentur, tunc fovendus eſt teſtis & cataplaſmata ſunt applicanda; Externa tamen hic non multum proſunt, & nemo his fidere debet, nam venenum non hæret in teſte, ſed vaſa deferentia compresſa ſunt, hinc modo purgantia, miſſio ſanguinis, balnea victusque tenuis præſcribatur, & hac ratione ſanatur, nam per miſſionem ſanguinis inflammatio ſuſcepta circa veſiculas ſeminales moderatur, ſi vero hoc non fiat, tum teſte ſuppurato, ſcrotum eſt aperiendum.

§. 1442. Hi cancri peſſime curantur, niſi Gonorrhæa adſit, nam ſi vir ſit in actione Venerea, tum venæ & arteriæ duplo plus tument, ſi vero priapiſmus ſit factus, tum vaſa collabuntur, ſic tum omnis ſanguis, qui antea in pene erat, retroit, hinc quoque venenum una cum ſanguine retroire poteſt, unde tum cancri primo oriuntur, qui per Lapidem Infernalem ſeu aliud cauſticum usque

ad vivum sunt erodendi, vel tale medicamentum est optimum.

℞. Mercur. Sublimat. ʒj
Aq. Plantagin, ℥iij
—— Rosarum ℥ß

His partes attingantur, dein plus aquæ Rosarum addendum, ut Mercurii vis infringatur, & eadem aqua est pergendum, donec omnia sensim sint erosa. Omnes vero, qui cancros in cute habent, illi & venenum per totum corpus disseminatum habent, nisi fuerint superficiarii, & nisi sit primum morbi initium, aliter salivatio est instituenda.

§. 1443. In mulieribus Gonorrhæa difficilius curatur, quia loci sunt adeo mucosi & sinuosi, hinc tum injicienda est Aqua Mercurialis & spongiis inde madidis factis omnia sunt detergenda, & sic hæ cæterum eadem cura ac viri curantur.

§. 1444. Si magna inflammatio non adsit, tum dantur Mercurialia & detergentia *in Materia Medica descripta.*

§. 1445. Si hæc ita sint, tum de præsentia Luis Venereæ sumus certi, hinc ejus cura certissima instituenda est, nam si non ita curetur, tum certo redit seu aliquid relinquit. Lues vero est morbus, qui omni fere qualitate omnes humores omniaque solida sic inficere potest, ut eundem morbum creent, hæret vero ut jam dixi in pinguedine & ibi illud subtile vix extricari potest, nam hic neque venæ sectio, neque purgatio neque *Galeni* methodus hunc morbum curat, sed hic modo omnis pinguedo

est auferenda, hoc facto illud perditum per bona alimenta est restituendum.

Illis, qui sexies Gonorrhæa laborarunt, fere semper aliquid remanet, quamquam bene etiam sint curati, nam sæpe vidi in talibus hominibus senescentibus anomala symptomata oriri, nam illud venenum facile communicabile & difficile extricabile est, ergo quia in pinguedine hæret, hinc his persuaderem, qui toties Gonorrhæam passi sunt, ut modo, salivationem subeant, & sic se à metu futurorum malorum liberent, cum salivatio jam tuto fieri possit, tumque per Mercurium pinguedo solvatur, & illa soluta venenum simul evacuatur, non forma olei sed aquæ putridæ, hic vero non parva, ut nonnulli dicunt, salivatio sufficit, sed magna, ita ut omnis pinguedo solvatur, si per Mercurium salivando seu per decoctum Guajaci sudando, hæc vero curant, quatenus vermes occidunt.

§. 1446. Corpora sicca non ferunt Mercurium, sed fere suffocantur, nisi prius corpus impleatur decoctis ex radicibus Chinæ & Salsaparillæ, dein vidi optime blandeque agere Mercurium. Remedia, quæ pinguedinem auferunt, sunt sanguinem liquificantia in aquam, & hoc fit per Mercurium & decocta Guajaci pro cibo vel uti debent Uvis passis cum pane biscocto sine butyro seu pinguedine, cæterum nec carnes, nec ova, neque pisces neque ullum aliud præter dictum cibum assumere debent. Multi tamen sunt, qui dicunt se posse curari sine tali abstinentia, ut v. g. si homo aulicus sit, illum posse manere in aula, sed hi hoc modo illud vel alterum symptoma curant, sed morbus tamen manet.

§. 1447.

§. 1447. Si ægri ſumant omni bihorio Mercurii Dulcis grana tria, quatuor vel ſex usque ad duodecim, prout ægri fortiores vel debiliores ſunt; hinc ex Mercurii granis aliquot, cum aqua ſyrupoque fit potio, cujus miſturæ omni bihorio ſumatur unum cochleare, ſic optime fertur Mercurius.

§. 1448. Hoc eſt ſignum ſanguinem ſolvi incipere & in vaſa aliena derivari, tum tumores fiunt hinc inde, & debemus videre, quo natura vergit, ſi ad os, tum determinatio eſt bonum ſignum, ſi vero nimium eo derivetur & inteſtina fortia ſint, tum lene clyſma ſudoriferum injiciatur, ut vis derivetur, ſi nimium derivetur, & determinetur ad inteſtina, tum facile rumpuntur præ dolore, ilico danda ſunt ſudorifera & Theriaca ſeu Mithridatium &c. ergo ſi nimis fortis ſit, tum ægri ſæpe deficiunt, & tum granum unum Opii ſeu uncia una ſyrupi Diacodii detur, verum tum multum ſuperbibere debent. Sic erat Batavus ille famoſus, qui tot homines in cura habebat, dicens ſe auxiſſe ad pedem rhenolandicum interiora, ſed hoc facto quoque ſalivationem quidem non inſtituebat, ſed tamen ad hæc, quæ dixi, non animadvertebat; hinc videtis hic medici prudentiam requiri, nam ſæpe vidi labia recurva, ſanguinem ſtillantia, vidi nil eos bibere potuiſſe, ſi ergo medicus hæc omnino nimium fieri videat, tum clyſma injiciatur, & caput collumque ſic tegatur, ut nullum frigus accedat, nam à frigore perſpiratio inhibetur, & hinc partes in immenſum tumeſcunt.

§. 1449. In ægro mediæ ætatis ℔iij vel iv, omnibus viginti quatuor horis, non plus,

ſi exſpuantur; optimum eſt, ſi plus fere nocet.

§. 1450. Si minor adſit ſalivatio, nec libra una vel ſemis quibusvis viginti quatuor horis exſpuatur, do iterum mane grana ſex vel ſeptem Mercurii Dulcis, ſi poſt duodecim horas nulla ſigna ſalivationis adſint, tum iterum præſcribo, ſi non, poſt quatuor horas iterum do, ſed raro bis datur, quin tale ſignum ſequatur.

§. 1451. Hinc infamis hæc ars eſt facta, quia adeo intumeſcunt fauces, ut omnino occludantur, vel ſanguis exeat, vel ſaliva nimia in copia, unde ſummopere debilitantur vires; hinc ſi nimia ſit vis Mercurii, dandum eſt purgans vel clyſma ex vitello ovi, Terebinthina, melle lacte, hoc laxat alvum, & defendit, ne à dolore infeſtetur; peſſimum eſt ſignum, ſi eo usque procedat ſalivatio, ut maximus motus vel purgans requiratur, tum ſudorifera iterum juvant.

§. 1452. Tum cito moriuntur ægri, oriuntur teneſmi & animi deliquia, ita ut tandem deficiant; tum os fovendum & multum bibendum eſt una cum Opiato adhibito, nam hic ſi non cito impetus ab inteſtinis avocetur, tum inteſtina debilia hanc vim ſuſtinere non potentia rumpuntur, & ſic miſere moriuntur; hinc prius dentur clyſmata ſimulque leviter Opiatum, ſi tormina ad Ilia adſint, ſumatur mixtura cum Opii grano uno vel duobus; ſi ſanguis exeat alvo, peſſimum eſt ſignum, tum ſumo ſequens remedium.

℞. Folior. Malvæ.
—— Parietariæ ana m*β*.

Sem·

Sem. Lini ℥j
Coq. in f. q. aquæ puræ in Col. Unc. x.
dissolve Terebinthin. Venet. ℥j
Theriac. Venet. ℥ß
Vitell. ovi No. 9.
M.

De hoc medicamento bibat quavis hora unum cochleare, si dolor permaneat, moriuntur ægri cum summis doloribus; hinc sunt in summo periculo; Theriaca Veneta abdomini imposita sedat fluxum, & dolorem tollit.

§. 1453. Hoc est terribile symptoma, lingua aliquando adeo tumet, ut prominens dentibus pertundatur, sed nostra methodo si res instituta sit, hoc nunquam fit, nec mihi sic agenti unquam accidisse vidi; ut optime curetur æger, sit in loco calido, & utatur æger tepida oris collutione.

§. 1454. In hac cura est perseverandum per triginta & sex dies ad minimum, tumque his peractis adhuc certam dosin Mercurii sumant ægri, & se diu à cibis acribus & pinguibus abstineant, quod probe notandum, nam hi ægri sunt valde famelici, & omnia quidem ingurgitare vellent, sed considerandi sunt instar infantum, omnis enim sanguis vetus eductus est, & hinc sanguis bonus substituendus, quod per optima & facile digestibilia nutrimenta fieri potest, si vero omnia sine distinctione iterum ingurgitent, tum inde quædam mala oriuntur, quæ pro Lue Venerea habentur, sed sunt modo ejus proles, si vero post decursum triginta & sex dierum salivationis adhuc remaneant symptomata, tum semper adhuc continuandum in salivatione & diæta, si vero malum

ad ossa perveniat; tum optarem, ut alium medicum petant sibi accersendum; si vero talem ægrum curare deberem, tum sudationem sub craticula instituerem per solum decoctum Ligni Guajaci, scobem nempe ligni Guajaci in aqua coctum, hocque decoctum darem tanta in copia, ut totus sanguis fieret decoctum Guajaci ad minimum libras octo de die, cibus interim sit tantummodo panis biscoctus cum uvis passis, nam hic indicatio est, ut medulla pinguis ossium solvatur, verum hoc Mercurius non peragit, nam ille non agit nisi vi circulationis, hic vero vix circulatio adest, hoc vero decoctum tanta copia sumi potest, ut quasi ebulliat, vidi per frontem exiisse guttas decocti, sicque homines inde fiunt quasi pleni rimarum; hæc vero sudatio mane & vesperi ad minimum per duas horas est instituenda sub craticula per duas vel tres menses, sicque malum venereum intra nares in officulis spongiosis & in palato hærens per Mercurium non curatur, sed tantummodo hac methodo. Dixerunt mei inimici, me in privatis his lectionibus docuisse, Lue Venerea infectos tanta copia decocti laudati replendos esse ut fiant vere Hydropici antequam sudent; quod falsum est, quemadmodum mecum testari poterunt qui me audierunt.


§. 1455. Hæc regula *Sydenhami* est optima, quam observavi, sic nulla recidiva metuitur, omni septimana per mensem, iv, viij, x, xij. grana Mercurii dentur, prout facilius vel difficilius moveri deprehensi sunt; tum æger tamen prodire potest, si vero tum velint decocta sudorifera dare, tum pessime agunt.

§. 1456. Idem verum est de purgantibus, quæ dantur, ut Mercurius educetur, sed Mercurius

ipse-

ipſemet ſibi ſufficiens ſtimulus & nullum aliud requiritur, hinc corpus extortum & emaciatum purgant, peſſime agunt, ſalivationem non producunt, niſi prius omnis ſanguis ſit attenuatus, Mercurius hæret in ſanguine, qui purgatione non educitur; ſed dicunt auctores illum ferri ad caput, oſſibusque inhærere, verum eſt, ſi per frictiones externas Mercurius fuerit applicatus, tum hoc metuendum eſt; & ſæpe æger inde mire torquetur, qui Mercurius in hoc caſu nec purgatione nec ſudatione educitur.

§. 1457. Oſſa ſæpe denudantur & nigreſcunt, unde vidi excidiſſe magna fragmenta; Emplaſtrum Vigonis cum Mercurio in bubonibus laudatum hic ſummum eſt remedium. Exoſtoſes etiam quandoque curantur per Mercurii vim, quandoque vero non, ut mihi ipſi contigit, quandoque etiam per lignum Guajaci, os primo eſt abradendum & pulvis Euphorbii eſt inſpergendus, pura cicatrix renaſcitur, ſi redeat, fons non eſt curatus & iterum decocta danda, hinc nil bibant, niſi hoc decoctum, & quidem ſingulis diebus libras octo & mane & veſperi per duas horas ſub craticula in lecto (ut vocant cum ſpiritu vini accenſo ſub craticula immiſſo) ſudent, edantque nil niſi panem biſcoctum, bibendo hoc decoctum ſeu lac cum æquali copia aqua hieme & æſtate duabus partibus aquæ & una parte lactis.



Rachitis.

§. 1458. Rachitidis nomen deducitur à voce Græca ῥαχίτης vel ῥαχῖτις, derivata à ῥαχὶς

Spina dorſi, quod ſit νόσος τῆς ῥάχεως ſeu νοσος ῥαχίτις vel ῥαχίτης, *morbus ſpinæ dorſalis & ſpinalis*, hinc ex Græca voce adjectiva vox Latina ſubſtantiva Rachitis fuit compoſita; Belgice vocatur *Engelſche ſiekte* vel *ledenwang* dicitur. *Gliſſonius* omnium optime de hoc morbo ſcripſit, ſimulque ſpecimen dedit, quomodo unusquisque morbus eſt deſcribendus, nec ſcio aliquid addi poſſe niſi pauca in Theoreticis. Nonnulli volunt hunc morbum Veteribus fuiſſe cognitum, ab iisque deſcriptum, ſub aliorum nominum titulo, membrorum ſcilicet Atrophiæ vel Tabis dorſalis, vel alterius morbi; hoc autem ex illorum traditis definitionibus & deſcriptionibus tradere conantur: procul abeſt, ut negem Rachitidem nullam habere communicationem cum Tabe, Febre lenta, Hydrocephalo, &c. verum ſi omnes puerorum morbos à veteribus deſcriptos examinemus, nullum inveniemus, qui hujus ideam & conditionem ſatis accurate complectitur; Morbus itaque novus eſt, qui ſe medio ſæculi decimi ſexti primum manifeſtavit in Occidentalibus Angliæ tractibus, in Comitatibus ſcilicet *Dorſet* & *Sommerſet*, poſtea vero per omnes Angliæ partes ſe extendens, licet in Septentrionalibus regionibus tantas vires non exercens, in omnibus Europæ Borealis locis magna cum vehementia ſævire incepit; unde Morbus Anglicus fuit dictus; hic morbus in regionibus calidioribus non ita obſervatur, ſed ibi quidem Spina Ventoſa regnat, quæ in noſtra patria non ita obſervatur; hoc malum maxime infeſtat Judæorum Hiſpanorum, & Luſitanorum liberos, hiſce locis natos, ita ut fere omnes Judæi &c. plerumque hoc mor-

bo corripiantur, inter rusticos illud malum nondum est notum.

§. 1459. Hoc malum teneros invadit infantes; ipsis tamen Rachitidem fuisse connatum vix annotatum, neque iis ante mensem ætatis nonum supervenisse (debiles quidem tunc temporis sunt, sed nunquam Rachitici;) vel post biennium eos invadisse raro cognitum fuit: verum inter prius & posterius illud temporis spatium iis esse proprium docet observatio; si post biennium vitæ oriatur, plerumque est Scorbutus.

§. 1460. *Proli* &c. raro ex fortibus & robustis parentibus nascitur infans, qui hoc morbo laborat.

Molles. Id est delicatuli, opipara mensa, hinc Judæi hoc morbo maxime laborant, quia in omnibus fere utuntur saccharo, ut & Britanni magna copia Chocoladæ.

Aqua. Omnes, qui hanc pernitiosam consuetudinem habent, tales infantes producunt; nam fœminæ per se sunt laxæ, & per hæc aquosa calide assumpta laxitatem multum augent. Si parentes multos Chronicos morbos passi sint, ætate, Venere & imprimis Venerea Lue & iteratis Gonorrhæis exhausti sint, illi proli generandæ effætam impendunt genituram, vitium itaque hoc vel in genitore vel in ipsa matre vel in utroque consistit, imprimis huc referuntur errores, quos mater tempore gestationis committit, depravatam scilicet diætam; & omnes illas conditiones, quæ embryonem debito alimento defraudant.

§. 1461. Nutricem iis morbis laborantem, vel solum hujus mali causam esse, vel saltem magnum incrementum infanti jam hac labe affecto, posse inducere, nulla demonstratione eget. Pueri tamen, qui & robustissima stirpe na-

ti, & a saniſſima muliere nutriti in hunc morbum incidunt, vel à prægreſſis morbis vel peccato ſex rerum, non naturalium.

§. 1462. Infantes diu relicti intra lintea humida fiunt Rachitici. Aquoſa & farinoſa, quæ neutiquam fermentata ſunt, producunt hunc morbum, ut iſtæ placentæ, quæ ex butyro & farina ſine fermento confectæ ſunt; hoc vidi in gente Judæa, quæ hæc fere ſemper; ut edulia infantibus proponit. *Sydenhamus* putavit febrem imo Autumnum eſſe cauſam Rachitidis, quod tamen non eſt verum.

Saccharatis. Divitum infantes videtis ſemper comedentes ſaccharia amygdala, alii aniſum ſacchareum cum pane butyro illinito aſſumunt, unde incidunt in hunc morbum

Herpes eſt ſpecies ulcuſculorum cutaneorum, quæ cito proſerpunt ex quibus, ſi lympha aut limpida materia exeat, dicitur Herpes madida, ſi nil ſtillent, tum dicitur Herpes ſicca, ſi illud in pilis obſervetur, tum dicitur Herpes pilorum, & illa iterum humida ſeu ſicca Belgice de *Haarworm*, ſi alia loca occupet, & ſit humida tum dicitur Belgis *de Douworm*, quaſi roris vermis. Si illa materies, quæ ex Herpete humida fluit, exhalare impediatur, ſtatim hic adeſt morbus; hinc ſi Herpes ſuperveniat, infantibus maxime prodeſt.

Sella. Hæc eſt peſſima conſuetudo, in hisce frigidis & humidis oris, præſertim apud vulgus quod nutrices ſeu matres ponant ſuos infantes in tali ſella perforata, ubi corporis inferiora infantis nuda ab aëre frigeſcunt, & ſic ibi relinquant quandoque per ſpatium duodecim horarum, unde ille morbus ut plurimum oritur.

§. 1463. Morbus incipiens cognoſcitur in junio-

nioribus & qui nondum incedunt, si post nonum mensem, vel forsan ante, ubi materia mota, à causa violentiori se primum manifestat.

2. Si causæ præscriptæ prægressæ fuerint.

3. Si ipsorum infantum fratres vel sorores simili malo laboraverint; verum hoc etiam quandoque à nutrice dependet, vidi enim matrem, quæ octo liberos lactaverat, & cum nonum lactare non poterat; hinc nutrici commisit, qui infans plane Rachiticus factus, ubi octo priores liberi fuerunt sanissimi. Omnes fere infantes paulo robustiores incipiunt pedibus insistere duodecimo vel decimo quarto mense, tum vero sero medicina paratur, hinc prudens ille, qui nono vel decimo mense in infante observat & curat.

4. Ubi vero totius corporis partes, imprimis musculi admodum gracilescunt & emaciantur.

5. Cutis flaccida & quasi pendula cum abdominis tumore fiat.

8. Si Epiphyses ad ossium juncturas nempe ad carpum protuberent.

9. Si arteriæ carotides, venæque jugulares crescant, dum reliquæ partes decrescere incipiunt; hæc omnia Rachitidem adesse manifeste docent; nunquam vidi infantem Rachitide laborantem has venas parvas habere.

§. 1464. Spina Ventosa olim fere ignota fuit, oritur ex duabus causis, vel à Lue Venerea, vel Rachitide, si à prima causa oriatur, fiunt nodi cum tumoribus; si à Rachitide, fiunt dolores maximi. Nulla gens huic morbo hic loci magis est obnoxia, quam Hebræa.

§. 1465. Infantum ab hoc morbo mortuorum cadavera sequentia nobis observanda dederunt. Aperto cranio cerebrum molle, flaccidum, pro-

portione & mole peccans, simulque in ventriculis multa serosa materiæ copia reperta fuerunt. Detecto thorace pulmones tumidi, infarcti, aliquando purulenti, & pleuræ sæpissime adnascentes visi sunt. Abdomine recluso, hepar, ut & viscera omnia in majorem molem elevata, flaccida, mollia, humores solutos & mucosos continentia, conspecta fuerunt, sæpe etiam mesenterium glandulis justo majoribus, si non strumosis, affectum apparuit. Quid proprie hoc sit, quod in corpore Rachitidem facit, nemo explicare potest; verum si omnia colligerem; quæ in omni statu & decursu morbi adsint, ex his omnibus licet causa proxima mihi sit ignota, concludere possum tale quid adesse, quod talia symptomata producere potest, cum id effectis vidimus. Ex his ergo videtur acidum prædominare, nam ossa in aceto posita inflecti possunt, prout quis velit, hinc hic accuso cacochymiam acidam mucosam, & partes solidas laxas.

§. 1466. Amstelodami hac mea methodo plurimis profui; nam infantes maximè incurvos curavi intra duos vel tres annos. Hi utantur pro cibo pane biscocto cum Carui vel Anisi vel Croci; Belgice *gesoede Krakelingen*; Hordeo, Oryza, Milio, Caro macilenta tosta plus prodest quam elixa, jubeo leviter primo assari, tum pinguedine remota incidi in minuta frastra Belgice *Frickedellen* adde semina Apii, Petroselini &c. cum pane biscocto. Optima caro est Columbarum, Gallinaceorum, Cuniculorum, ovilla, vitulina, & hœdina, &c. jura carnium non conveniunt. Potus optimus est vinum Canariense, Hispanicum, Rubrum Gallicum adstringens, mumma Brunsvicensis, Bri-

Britannorum ale & Batavorum cerevisia spissata, & diu cocta; sic curavi infantem cerevisiarii, dicentis; an meo infanti aliquid ex mea Apotheca promam; hoc concesso, ipsi coxit cerevisiam adeo spissam, ut fere gelatina esset, quæ constabat viginti quatuor florenis, & hac ratione illum curavi.

Vestitum. Lintea non gerere debent, sed gerant indusia ex lana, ad quod optimum est pannus dictus Belgice *flannel*, & omnis qui bibulus est, unde fiunt thoraculæ Belgice *borstrocken*, quæ arcte astringuntur & fila compinguntur, tum vasa flaccida corroborantur; hæ suffumigantur Thymo aliisque fumis aromatum.

Vectione. Sine hac curari non possunt infantes.

Frictiones fiant frequentes cum pannis aromatum fumo perfusis, maxime ad regionem abdominis & spinæ dorsi, hoc instituatur vesperi & mane, antequam lectum petunt infantes.

Cantharides maxime resolvunt mucosos humores, nuchæ femoribus applicatæ, debes dicere id fieri ad catharrhos advertendos, verum est, ut nervi incitentur ad motum, vide *Glissonium.* Hæ si ullibi egregii usus sunt, quæ singulis triduis applicari possunt, jam in hoc jam in illo loco, nam hæ appositæ sunt huic acido, & sic sanguini alcali communicatur.

Vomitoriis. Hæc dedi aliquando per quinque dies continuos cum potu Chocolade quam infantes amant vel cum Coffé, tamen hoc parentibus non est dicendum, quia non concederent, ingeritur enim radix Ypecacuanhæ cum Coffé, simulac infans incipit nauseare, potus Coffé vomit, dein iterum vult bibere, hæc methodus optime ante omnia curat, sed nisi omdia simul adhibeantur,

ur, non multum proficitur. Ens Veneris non multum prodest, nisi præmisso vomitorio & purgantibus, plus profeci cum alio medicamento nempe ex limatura Ferri ad guttas sex bis vel ter dedie.

Purgantia. Quæ in hoc casu in usu adhiberi possunt, sunt, Cremor Tartari, Tartarus Vitriolatus, Cassia Fistula, Manna Calabrina, Tamarindi, Polypodium Quercinum, Uvæ passæ majores, tum Corinthiacæ, Jujubæ, Sebesten, Pruna Dulcia & Damascena, Dactyli, Ficus, electuaria lenitiva, horum tamen omnium optimum Rheum electum, mucosa enim e corpore eliminat, & robur addit fibris hic valde laxis, quæ acida & dulcia ante dicta haud præstant, ut apparuit: huic etiam scopo inserviunt enemata sæpius injecta ex laxantibus & emollientibus, ut ex foliis Althææ, Malvæ, Parietariæ, Verbasci, floribus Chamæmeli, Sambuci cum aqua coctis, horumque colaturæ addatur syrupus Rosarum solutivus cum Senna, Cichorei cum Rheo; tum etiam vel clysmata ex lacte dulci cum vitello ovi, vel ex lactis sero injici juvat.

Roborantibus. Hic præscripsi ea, quæ optime huic negotio inserviunt.

An immersio &c. Hæc in Anglia celebratur, sed si consideremus, quod hi infantes habeant magnum abdomen & magnum caput, hinc viscera abdominalia sunt minus coërcita, & hepar fere liberum, quod per se est adeo laxum viscus, ut cum omnia externe constricta reborentur, omnis motus introrsum determinetur, omnia viscera impleantur, hinc vix credo convenire posse in initio, quia cum viscera plena sunt muco, nil facit immersio, verum cum educta est materia, prodest.

An

An linimenta? Vix credo, ſed tamen omnes ſe opponunt huic ſententiæ, quibus cum diſtinctione quadam, quam hi omnes non faciunt, conſentire poſſum, nam hi laudant linimenta, quæ abdomini applicari poſſunt, hoc concedo, nempe unguentum Martiale, Nervinum &c. quæ cum ſucceſſu lenis purgationis applicari poſſunt, ſed ſi hæc ad juncturas & articulos ponatur, tum hæ jam nimis laxæ adhuc magis laxantur, ſed ſi ibi velint apponere vinum Rubrum aliaque roborantia, tum concedere poſſum, cæterum puto multos ex cauſa hujus applicationis curari non poſſe. Eſt juvenis quidam in hac urbe, qui cum infans erat, omnia oſſa habebat incurvata, huic promiſi me eſſe curaturum; alii vero Medici ligacula coërcentia adhibuerunt, ego vero curam hic præſcriptam ſecutus perfecte curavi; nil enim hic addere poſſumus; cur os femoris aliter non creſcat è acetabulo, hujus rationem dare non poſſumus, niſi quod ſit inſtitutum divinum, ſic Deus omnia oſſa creavit, ut æqualiter trahantur à muſculis, hic vero eſt compages muſculorum nimis flaccida oſſa, adhuc mobilia & flexilia, & ſic muſculi non reſiſtunt, & inde oſſa incurvantur; idem de oſſibus cranii verum eſt; ſi vero his remediis utantur, & cum ætate ex divino inſtituto muſculi fiant fortiores, tum æqualiter trahunt, & hac ratione reſtituuntur oſſa, & ex curvis fiunt recta, ſed quandoque ad curam tres ſeu quatuor anni requiruntur. Cæterum videantur ea, quæ *Gliſſonius* de hoc morbo tradit, nam omnia, quæ reliqui auctores dixerunt, modo ex eo exſcripſerunt, ſeu male rem conceperunt, ſi ſubtiliter voluerint

tint causam physicam invenire, cur partes incurventur.



Rheumatismus.

§. 1467. Rheumatismus derivatur à ῥέω *fluo*, hinc ῥεῦμα *fluxus*, hic morbus non est Podagra, non Arthritis, non Scorbutus, sed de omnibus his aliquid participat. Hunc morbum *Clarissimus Sydenhamus* quoque bene tractavit, & puto eum hic sufficere, nisi quod mihi videatur eum hic nimis imprudenter venæ sectionem aliquoties repetendam commendasse.

§. 1468. Hic morbus videtur esse diathesis inflammatoria in serosa parte sanguinis, qui morbus obvenit omnibus his, qui putant se esse fortissimos & nulli morbo obnoxios; si ita caluerint, ut indusium fuerit sudore madidum, quod si tum se ponat æger, ubi aurora frigida fiat, & tamdiu ibi maneat, ut sudor frigescat, tum summos dolores per totum corpus accipit.

Coxendicis &c. In his locis se maxime manifestat, & hi putant se Podagra aut Arthritide laborare, sic sæpe homines incidunt in malum, quod Belgæ vocant *het Spit in de rug.* Veteribus Lumbago audit, unde homines coguntur erecte sedere seu stare, & si se ad unum alterumve latus seu ad anteriora seu posteriora moveant; tum summos dolores uti & convulsiones sæpe patiuntur; sic & quandoque in collo habent, tum neque ad unum

neque ad alterum latus caput sine talibus doloribus movere possunt, sic & quandoque habent circa os sacrum, & hoc dicitur Lumbago Rheumatica inferior, fit & ad coxendicem & nonnullis ad genua & dicitur Gonogra Rheumatica, hic morbus imprimis à Podagra, Arthritide & Scorbuto distingui potest, si æger antea nunquam uno ex his morbis fuerit detentus, tum morbus descriptus dicitur Rheumatismus.

§. 1469. *Anchylosis* est cum pars cum tumore immobilis est, si v. g. ægri patiantur dolores intolerabiles ad genua, & his passis se erigere nequeant, tum dicitur Anchylosis; sic multis cervix rigida manet.

§. 1470. *Lymphaticis.* Non est inflammatio sanguinolenta, nec in vasis ultimi generis sed est diathesis inflammatoria in lymphaticis primi generis, hinc quia ad loca ligamentorum vasa sunt angustiora, ideo in cute non observatur, non in suppurationem nec in gangrænam abit, sed in summam rigiditatem; hinc si ægri quiescant, nesciunt se morbum habere, & sic sedere possunt quieti sine motu per sex dies noctesque; ut ipse vidi; inflammatio ad juncturas est tam parva & nimis lenta, quam quod morbus vi naturæ pelli possit, hinc in suppurationem ire non potest, & ego hunc morbum per totum corpus abhinc annum habui.

Venæ sectio in initio instituatur semel vel bis prout requiritur, saltem non ommittatur.

Purgationes per octo dies sunt continuandæ; vesperi narcoticum ad granum semis cum succo Limonum vel Cydoniorum præscribendum est. Si Anchylosis metuatur, tum applican-

plicandum est serum lactis cum Sapone Veneto, ut locus continuo tepescat per testas calefactas. Expertus sum in me flores Sambuci & Plantaginis aquatici hic optime conducere.

Vesicatoriis. Quando acetabula acceperunt malum rheumaticum, tum est, ac si omne remedium eliderετur ab omni parte, & tum ægri claudicant; si septimo die per remedia adhibita non cesset, tum applicandum est vesicatorium, quod nusquam magis convenit quam in hoc morbo, hinc apparet non esse inflammationem arteriarum primi generis; ergo si his non cedat, tum cauteria potentialia ad locum applicari possunt, sumatur nempe ferrum rotundum seu alterius figuræ, cui adaptetur capsula, & tum ferrum illud bene ignitum huic capsulæ carni impositæ inditur, & sic pars aduritur usque dum resistentia sentitur, sed ægri vix inde dolores sentiunt, putant enim sibi aliquid frigidi applicari; si modo ferrum sit satis ignitum; folia Ranunculi etiam sunt optima. Serum lactis etiam est optimum medicamentum, si ægri ad quinque vel sex libras de die per mensem assumunt, tunc solvitur rheumatica sanguinis tenacitas.

§. 1471. *Lumbago* dicitur Belgice *het spit in de Lende*; tum fiat venæ sectio, dein imperetur abstinentia à piscibus & carnibus &c. solo vero lacte utatur & mane purgetur per tres quatuorve dies, tum plerumque quarto die sanati sunt ægri.

Coxarius. Tum quoque sanguinis missio instituatur, æger purgetur, & vesicatorium applicetur ad locum dolentem, & simili utatur

tur diæta, & octavo die plerumque sanatus est æger, si vero tertio die malum non paulo minuatur, tum iterum instituatur venæ sectio, & tum sumatur cauterium valde ignitum cum annula, à quo annulo profunditas inustionis determinatur, & hoc applicatur coxendici, hac ratione omnes hi ægri curantur, & puto, quod si hæc methodus semper in hoc casu esset adhibita, ex centum hominibus, qui nunc claudicant, non unus claudicaret.

§. 1472. *Cerebro.* Tum febris signa non adsunt, sed ingentes capitis dolores & Phrenitis; si vero in pulmonibus hoc malum hæreat, tum difficilis adest respiratio, & tum ilico sæpe nocet sine alia causa, nisi quod anxietates adsint.

Calidorum. Hoc præjudicium omnium animos occupat, quod his ægris dent medicamenta calida, quia morbus à frigore est ortus, & hinc dicunt debere per calorem tolli, sed hac ratione promovent inflammationem, hinc multo pejor est.

Narcoticorum. Hæc morbum figunt & faciunt, ut medicus morbum cognoscere nequeat, sic hæc bina semper mala sunt, nam inde modo inflammatio seu malum augetur & partes exsiccantur. *Sydenhamus* scripsit de novæ febris ingressu, ubi memorat, quod plurimi moriantur à febre refrigeratoria dicta, quæ frequentissima in toto orbe est, ubi dicit, quod missio sanguinis, purgatio, & Opiata prudenter adhibita hos ægros curant.

Finis Quintæ Partis.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C.

In-

I.

L.

M.

P.

R.

S.

T.

Ve-

INDEX. &c.

FINIS.